

e-rara.ch**Georgii Agricolae medici Bermannus, sive de re metallica****Agricola, Georgius**
Basileae, 1530**ETH-Bibliothek Zürich**

Signatur: Rar 2001

Persistenter Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-14847>**e-rara.ch**

Das Projekt e-rara.ch wird im Rahmen des Innovations- und Kooperationsprojektes „E-lib.ch: Elektronische Bibliothek Schweiz“ durchgeführt. Es wird von der Schweizerischen Universitätskonferenz (SUK) und vom ETH-Rat gefördert.

e-rara.ch is a national collaborative project forming part of the Swiss innovation and cooperation programme E-lib.ch: Swiss Electronic library. It is sponsored by the Swiss University Conference (SUC) and the ETH Board.


www.e-rara.ch**Nutzungsbedingungen**


Dieses PDF-Dokument steht für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Es kann als Datei oder Ausdruck zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Terms and conditions

This PDF file is freely available for non-commercial use in teaching, research and for private purposes. It may be passed to other persons together with these terms and conditions and the proper indication of origin.

RAR 2001





GEORGII

AGRICOLAE MEDICI
BERMANNVS, SIVE
DE RE METALLICA.



Basileæ, in ædibus Frobenianis
Anno M. D. XXX.

Vtius Frater Evangelista Noni.

Bibliotheca Eremitani Parvij.

20-18

Cafe
Shot

D E S . E R A S M V S R O T
ORNATISSIMIS FRATRI,
bus Andreæ & Christophoro
à Conritz s . D .



V O L VI clarissimi iuuenes
propemodum ἀπνευσι sed ta-
men haud oscitāter Georgij
dialogū de metallicis. Nec sa-
tis possum dicere, maiore ne-
id uoluptate fecerim an fructu. Magno-
pere delectauit argumēti nouitas, exhila-
rarūt ioci liberales obiter inspersi, nec in-
iucūda fuit dictionis simplicitas, atticum
quiddā referens, præcipue uero me atten-
tū habuit rerū sub oculos expositarū enar-
gia. Vīsus sum mihi ualles illas & colles,
& fodinas & machinas nō legere, sed spe-
ctare. Nec multum abfuit, quin ex tot ue-
nis argentarijs & aurarijs cōceperim ali-
quam eiusmodi rerum cupiditatem. Vti
nam animis eo studio feramur in cœlum
quo scrutamur terram, non quod impro-
bem hāc industriam, nobis enim terra gi-
gnit quicquid gignit, sed quod hæ uenæ
quantumuis fœcundæ, beatū hominem
adeo facere non possunt, ut non paucos

a 2 operæ

4 ERASMI EPISTOLAE

operæ & impendij poenituerit, sola diuinariū litterarū uena uere locupletet hominem. Feliciter praelusit Georgius noster, nec ab illo ingenio quicq̄ expectamus mediocre. Ad rem medicā restituendam iuuenes aliquot accinctos uideo, in quibus est Simon Ricuinus, cui præter eruditonem haud uulgarē adest summa morum ingenijq̄ dexteritas, & Ioachimus Martianus Gandauus, cuius ingenium, exactum quiddam & excussum polliceri uidetur. Nec minus spei ostendunt nobis hæc Georgij προγυμνάσματα. Quare nec me poenitet huius operæ, nec dubito quin Hieronymus Frobenius sit in gratiam uestram, tum studiorum, libēter excusurus. Bene ualete. Friburgi, xii.cal. Martij. M. D. XXIX.

NOBILI ET CLARISSIMO
VIRO HENRICO A CON
ritz Præfecto uallis Ioachimicæ,
Petrus Plateanus s.

NO N alij me hercle uir claris
sime melius de genere mor
talium mihi mereri uidetur,
quam illi, qui uel arteis, uel
naturæ arcana, per se aliosq;
inuenta, literis ad posteritatem transmit
tunt. Etsi enim homines ui quadam ratio
nis, cognitionis & sciætiæ præditi sumus,
quibus & mutis bestijs maxime præsta
mus, & uirtutum ac uariarum artium di
sciplinarumq; non capaces modo, sed in
uentores etiam esse possumus, atq; adeo
ad abstrusissima quæq; naturæ penetra
re, angusta tamen admodum sit, necesse
est, cuiuscunq; uel solertissimi hominis
cognitio, si intra uitæ humanæ terminos,
quæ breuissima est, arctabitur, neq; plura
quisq; sciet, q; ipse inuenerit. Quo fit, ut
iure indignemur, nonnullis superiorum
seculorū hominibus, qui tot summorum
doctissimorumq; uirorum maximo labo
re inuenta, & literis mandata, ignauia &
focordia sua, nescio an perdiderint, certe

a 3 perire

perire sunt passi . Id cum ita sit, nobis por
ro cauendū censeo, ne in idem quod istis
objicimus crimen , apud posteros & nos
incidamus . Non seculo nostro ingenia,
non ingeniorum uberrimi fructus, aut de
fuerunt , aut desunt . Fieri uero plerunq;
solet, ut homines docti ingenij sui monu
menta non euulgent, adducti partim ue
recundia , quæ in animis liberalibus ma
xime inesse solet, partim metu, ut qui cla
re intelligant , quanto cum periculo quis
orbis terrarum in se iudicia prouocet . Id
uero, siue pudor siue metus in causa sit,
cum ab honesto proficiscatur, ut in illis
quoquo modo ferēdum , ita cuicq; nostrū
prouidēdum puto, si quid illorum in nos
forte, quo iuuari publica studia possint,
inciderit , ne non tam eiusmodi uirorum
existimationi, quæ apud æquos lectores
satis erit tuta, consuluisse, quam inuidisse
cōmodis generis humani uideamur . Cū
itaq; Georgium Agricolā medicum, ui
rum supra reliquam eruditionem, utraq;
lingua doctissimum, familiariter & pene
quotidie adirem , ac hominis etiam secre
tiora studia cognoscerē, uenit forte inter
cætera

cætera in manus farrago quædam libro-
rū, quos de rebus metallicis ille instituit,
Deum immortalem, quæ ibi hominis di-
ligētia, qui labor, quām acre extabat iudi-
cium. Quicquid omnes tū ueteres, tum
recentiores Græci Latiniq; scriptores, de
metallis scriptum reliquerūt, quod quidē
ex tanta librorum clade reliquū factum
est, hic unus accuratissime discutit, & cū
eis quæ in Germaniæ fodinis, nomina-
tim autē in hac Valle uideri possunt, dili-
genter expēdit. Nō pauca præstatiſſimis
olim medicis in maximo medēdi usu ha-
bita, ex altissimis tenebris, uel ut uerius
dīcam, ex ipsis inferis quo demersa erāt,
reuocauit in lucem. Sed eorum librorum
materia, quod sparsa adhuc & incompa-
cta iaceret, nihil ex ipsis attingere ut æde-
retur, sum ausus, præsertim ipso pollicen-
te Agricola, se nō fraudaturum olim stu-
diosos fructu eorundem. Interim ex meo
in literas, literatosq; officio facturum me
existimaui, si dialogū quem idē de eadē
re conscripsit, legendū doctis hominibus
ædidero. Qua in re, ut cōfido me ab opti-
mo quoque magnam gratiam initurum,

ita ne ipsum quidē Agricolam mihi suc-
censurum spero : qui scilicet compertum
habeat & studium & uoluntatem meam
in se, & ad huius libelli æditionē non alio
me consilio, quām publica studia iuuans
di, descendisse: quem licet ipse leuiore o-
pera, & cum animum remittere uolebat,
non in hoc ut ederet, luserit uerius quām
scripserit, tamen talem eum esse , ut non
parum frugis ex eo ad studiosos redire
possit, omnes æqui rerum æstimatores
iudicabunt. Hunc igitur qualiscunq; est,
uir strenue, sub tui, & clarissimi doctissi-
miq; filij tui Andreæ nominis titulo, emit-
tere est uisum : tum quod huic ualli, qui
locus gloria rei metallicæ nulli secundus
est, tot annos multa cum laude sis præfe-
ctus : tum quod studia liberalia tanti fa-
cias, ut liberos tuos etiā in Italiā, aliaq;
remota hinc terrarum loca erudiēdos o-
ptimis doctissimisq; præceptoribus mise-
ris, non contentus maiorum imaginibus
illos esse ornatos , nisi & doctrina nobili-
tetur . Præclare sanè ageretur cum rebus
humanis, si hæc mens uiris omnibus qui
in magistratu sunt constituti, à deo opt.

Max.

Max. esset data, nō ut hodie uidemus fie
ri, cōtēptui & ludibrio passim haberētur
optimæ disciplinæ. Non tēterrīmi quī
dā nebulones, sola audacia & temeritate
præditi, præmia quæ bonis & doctis ui-
ris decreta oportuit, præriperēt. Nolo iu-
sto licet dolori, intempestiue nunc indul-
gere longius. Bene faciūt illustrissimi Co-
mītes nostri, bene facis tu & Senatus pru-
dentissimus, quod Agricolæ super cuius
laudibus nunc mihi silendum puto, suus
hīc honor habetur. Celebris est hīc locus
copia metallorum, sed quanto olīm cele-
brior in omne æuū huius monumētis est
futurus? Habet ut cætera taceā in mani-
bus de re metallica libros, quorū & ante
mentionē feci, habet castigationes Græ-
cas in libros principū medicorū Hippo-
cratis & Galeni, ex uetusſiſſimis librīs
maximo labore uigilijsq; collectas, qbus
argumētis, quæſo quod aliud uel utilius
uel magis etiā necessarium suscipere pro
sua profissione potuiflet. Tu interīm no-
bilissime uir cū tuis, hūc libellū, quo ille
in ea quæ aliquando seria opera est aedi-
turus, prælusit, boni atq; æqui consulas
uelim, Vale.

DE GEORGII

AGRICOLAE BERMANI,
nus, siue de re metallica.



ÆPE ego mecum,
tum res, quas uel na
tura ædidit, uel ars
inuenit, tū nomina,
quæ eisdem & Græ
ca & Latina olim fu
erunt indita, animo
reputās, maximum
utraqꝫ damnum, aliquot iam seculis, fe
cisse animaduerto. Illas quod partim ne
glectæ facerēt, partim prorsus ignoraren
tur. Hæc quod aut inepte immutata, aut
in eorum locum barbara quædam substi
tuta essent. Ex qua re tanta profecto bo
nis disciplinis & præclaris artibus obdu
cta caligo est, tanta earū irrepit obliuio,
tanta deniqꝫ clades consecuta est, ut ad
unam omnes quasi ad interitū quendam
spectare uiderentur, nisi ipsis diuina illa
prudentia, quæ omnia regit & tuetur,
in tēpore succurreret, ac optimi cuiusqꝫ^{ne}
industriam ad hoc excitaret, ut eas è tene
bris ereptas, in lucē reducere; ab obliuio/

tie uindicatas, in memoriam reuocare: ab
extrema clade seruatas, in libertate asse-
rere, summo quodam & eximio conatu
anniteretur: quod ipsum superiori ætate
ut à multis cœptum est, ita bene & felici-
ter processit. Iam enim nō modo linguae
Latinae, ut de Græca taceam, puritas in
Italia pulcherrime uiget, sed exteræ etiā
nationes non paucæ eam amplectuntur;
Breuiq; nisi quid aduersi, quod absit, ac-
ciderit: eloquētia ipsa uires suas quoquo
modo recuperare posse uidetur. At uero
rerum cognitio, quæ latissime patet, imo
per omnia, quæ sensibus & animo com-
prehēdi & percipi possunt, se extēdit, plē-
risq; suis partibus adhuc negligitur. Nā,
ut alia quamplurima omittam, permulta
sanè in singulis animantium generibus,
in natis è terra stirpibus, in his quæ terra
ipsa intra se gignit, nobis plane abstrusa
& incognita sūt. Aut si ea cognoscimus,
& non raro uel manibus tractamus, qui-
bus tamen nominibus apud ueteres ap-
pellata fuerint, omnino nescimus. Vnde
id ipsum necesse est consequi, maximam
esse usus eorum partem quæ ignoretur.

Cum

Cum enim multa de natura & uiribus,
quæ eiusmodi in rebus insunt, à ueteri/
bus, in primis Græcis, diligentissime scri/
pta sint: quæ longa experientia inuenta, ra/
tione confirmata esse constat: nōnne ea
omnia lōge purius de ipsis, tanç de fonti/
bus, haurire nobis liceret: si modo nomi/
na uetera & incorrupta nos non laterēt,
aut his cognitis res, quæ ipsis significan/
tur, nobis ignotæ nō essent? Atç ne lon/
gius ab eo, quod institui, recedam, Quis,
quæso, nescit quanti usus in medicina,
præsertim ea ipsius parte, quæ manu me/
detur, fuerint metallica? (Sic uero appellam
mus quæ uel metalla ipsa sūt, uel iuxta
metalla reperiuntur, uel dum in fornaci/
bus illa excoquuntur fiunt, uel aliqua alia
præparatione ex eisdem consistunt) ne/
mo certe: qui modo Galeni summi illius
medici & Dioscoridis libros inspexerit.
At q̄s hodie Molybdænā, Pyriten, Chal/
citen, Mysi, Sory, Pōpholyga, Spodium,
Diphryga, atç recrementa quædā metal/
lorū, & alia multa nobis indicare potest:
præter Stibium enim, Lithargyrum, Ar/
senicum, Cerusam, atç pauca quædam
alia,

alia, nihil hodie neq; officinæ, in quibus
cuiusc; generis medicamenta conficiun-
tur, habet, neq; medici, liceat uera dicere,
norunt. Pudeat nos eas uoces toties lege-
re, toties in ore habere, & res, quas signi-
fican, non noscere. Si nemo satis æquo
animo ferre posset nautam, qui sapius de
securitate triremium narraret, cum uero
interrogatus quod nauigij genus esset, di-
cere, quia id ipsum nō cognosceret, non
posset, maxime si triremes in eo ipso ma-
ri, qd nauigare soleret, minime deessent,
Quo tandem animo medicus tolerādus
erit, qui crebro de usu & uiribus medici-
narum, quas penitus ignorat, differit: cū
ipsi liceat eas adhibita arte & diligentia,
quibus hac parte opus est, interdum etiā
in ea, in qua habitat regione, inuenire:
Profecto nostra inscitia & negligētia fit
ut multæ res lateant, multarum usus pe-
reat, multæ prorsus intereāt. Quid uero
mirum si ulcera quædā, quæ alioqui for-
te curarentur, nō sanamus, quum pauca
admodum emplastra, præsertim ex me-
tallicis cōstituta, quibus ueteres summa
cum hominum utilitate, & maxima sua
laude

laude usi sunt, integra conficere possamus. Quæ sanè præcipua fuit causa, quā ob rem me ad loca, quæ metallis abundant, cōtulerim. Quantum uero ibi conse quutus sim, alijs iudicandum relinquo, studiū certe mihi nō defuisse complures testes esse possunt, in primis Bartholomeus Bacchus, & Laurentius Bermānus ui ri non minus literarum, q̄ rei metallicæ periti. Quos etiam præter alios s̄apie in terrogando, anteq̄ metalla cognoscere, defatigauit. Cum autē mihi tum à meden di officio, tum à grauioribus studijs inter dum uacare liceat, ob multas causas ui sum est sermonē, quē accepi doctissimos uiros de metallis nuper habuisse, expone re. Primū ut futuri operis, quod de ijsdē, literis consignauit, ueluti gustum quendā studiosis præberē. Deinde ut nostræ æta tis homines, ut ipse nihil egregij fecisse videar, ad res diligētius inquirēdum insti garem. Quæ nisi ipsæ, utpote quibus ui res insunt, nobis notæ fuerint, absq; ullo fructu uerba sermone terimus. Postremo ut quæ in Germania nostra, ueteribus, quod scio, incognita, in metallis reperiun tur,

eur, ea pro uiribus in lucē proferrem. Si enim Græci, gens omnium doctissima, non sua solum, sed etiam externa, memoriæ tradiderūt, turpe nobis sit res nostras per socordiam & ignauiam nostrā etiam nunc tenebris quasi obrutas esse & sua luce carere. Tribuimus uero Bermanno metallici personam. Nam huius artis peritissimus est, quippe qui miles olim multis regiones peragrauit, in quibus res metallicas, nō secus ac Dioscorides herbas, dum sub signis Romanis militaret, obseruauit. Cum quo disputat̄ duo doctissimi & clarissimi medici, Nicolaus Ancon, & Ioannes Næuius. Quorum alter in medicina, quæ nostra ætate ferè ex Arabibus traditur, non indiligenter uersatus est & doctus præterea ex disciplina peripatetici corum. Næuius autē, tum literis Latinis & Græcis, tum maxime ueteri illa medicina eruditus. Cuius uiri nobile ingenium & studium singulare cum in Italia una operam daremus medicis mihi plane perspecta sunt. Hi itaq; cū in foro uallis nostræ starent, & Ancon Bermānum accedere uideret, ita exorsus est. A. N. Bermann

mānum, ni fallor, uideo hominē doctum
& ueterem amicum. N A E . Quibus stu-
dijs deditus est? A N . In primis discipli-
nis numerat, metitur, canit, cursus astro-
rum tenet. N A E . Quid audio? A N .
Rei etiam metallicæ intelligētia præstat.
N A E . Sed ingreditur ueluti miles. A N .
Recte, diu enim pedibus, ut pleriq; no-
stri solent, stipendia fecit. Tace, salutabo
ipsum. Salue Bermanne. B E R . Salui si-
tis, quid est cur tot medicos conspiciam?
est ne aliquis ægrotus? A N . Fuit. B E R .
Infelix uerbum apud poëtam, Fuimus
Troës, fuit Ilium. Sed quis, obsecro tan-
dem fuit? A N . Dicam non sine magno
dolore. Henricus Slico, qui secundū Ste-
phanum fratrem, quem fortiter pugnan-
do contra Turcas, una cum Ludouico
Pannoniæ rege ab hinc ferè biennio per-
ire nosti, & Christophorum qui Romæ
inter imperatoris milites peste decessit,
totius familiæ fuit decus. B E R . Misera
prorsus mortalium conditio, qui nuper
apud Pannonas forti & iauicto animo
in acie contra tot hostes pugnando stetit,
iam domi inter suos à morbo deuictus ca-
dit.

dit. Virū certe amisisti tibi amicissimum.
A N . Vera dicis, & quoties eius memoria
mihi in animū subit, toties lachrymis
replentur oculi, nō tam quod bene uoluerit
mihi & tali amico orbatus sim, quāuis
& hoc me non parum moueat, q̄d quod
suis omnibus nimis celere abreptus sit.

N A E . Pius quidem dolor iste quo affici
te uideo, & iustæ lachrymæ, quas ob cla-
rissimi uiri mortem effundis. Sed quia ea
ratione natura nos omnes compegit, ut
rursum dissoluere posset, eo æquiore ani-
mo mors toleranda erit, quocunq; tandem
cursu ætatis cōtigerit, quod eam aliquan-
do cōtingere omnino necesse fuit. B E R .
Recte Nēuius dicit: tu uero mitte lachry-
mas, quibus nihil profici potest, nec phi-
losophum satis decent: & quo id facilius
fiat de alijs colloquemur. Sed quorsum
it Colomānus? A N . Ad metallicos qui
eum apud amicum quendam expectant,
symbola forte daturus, uel partes in fodinis
empturus. B E R . Amare ne & ipse
fodinas coepit: A N . Maxime, multis e-
nim iam annis in eorum numero est, de
quibus Demetrius Phalereus uerissime
b mihi

mihi scripsisse uidetur, Quæ accipere debebant, non acceperunt, quæ habebant, abiecerūt. B E R . Ne dicas uerissime hæc de metallicis scripta . nam etsi de nonnullis dici possint , qui sua in fodinas nihil unq̄ recepturi expendunt; non paucitatem contra reperiuntur qui minima impenitis maximas sibi diuitias cōquirunt: Nōnne hominum memoria Mōcero ad ducēta milia aureorum fodinæ dederūt: nōnne totidem ferè Romano? Atque, ut omittam Polneros, Federanglios, Ippouios, Tomesernos, Phloccios & alios cōplures, quos omnes cum nihil, aut parū admodum haberēt, fodinæ bearunt, Georgium Storcium nosti? A N . Noui me dicum egregie doctū , necnon metallicæ artis gnarum, B E R . Is est quem dicere uolebam : pater ipsius multa milianum è fodinis argentarijs consequitus est. A N . Audiui, B E R . Atq̄ huius filiam, illius sororem Colomanus in uxorem habuit: qua ex re splēdidæ illius fortunæ particeps factus est. A N . Non mirum ergo si ipse fodinas amat : ego adamarem si tantas mihi diuitias largirētur, quantas

q̄antas uel ipsi Storcio olim Annebergum, uel nuper hic Suicero homini Rhe nano uena cui Stella nomen est. N A E . Cedo quot mīlia argēteorum nummum, qui hic cuduntur, quorumq; singuli aureum Rhenanum ualent, accepit? A N . Certius Bermannus dicet, B E R . Plus quadraginta. N A E . Quid autem uena, argenti ferax' ne adhuc est? B E R . Maxime. N A E . Vbi nam ea est? B E R . Non longe hinc in superna mōtis huius planicie. N A E . Rogo te quammaxime Ancon hunc ores ut nobiscum ascendat, & uenam quæ tantos thesauros effundit nobis monstret. A N . Bermanne, si tibi per negotia licet, per amicitiam nostram te etiam atq; etiam oro, cum mei, qui & ipse uidere percupio, tum præsertim Næ uij gratia id agas; hac enim ratione nouā illius amicitiam tibi iniire licebit, & ueterem nostrā confirmare. B E R . Quamuīs negotia multa & magna mihi sint, his tamen omnibus prætermissis uestræ more geram uoluntati. A N . Quia id ipsum quod uolumus à te impetramus, nullam moram interponendā puto, quin statim

ad uenæ istius fodinas ascēdamus. B E R .
Ascēdamus: ab omni enim mora tempore
ris breuitate excludimur, meridies iam
abijt: certe nisi dies hoc anni tēpore apud
nos longior esset, nihil efficere nos posse
crederem. N A E . Festinādum igitur no
bis puto. B E R . Hos montes qui cingūt
Boemiam, nisi memoria me fallit, Sude
tas appellat Ptolemæus. N A E . Haud te
fallit, opinor. Boemia enī ipsa undiquaqz
montibus sylvestribus munita & quasi
circumsepta est: quorū altiores qui par
tim eam circundant, partim longe intro
sus pertinent, ac regionem ipsam ferè in
tersecāt: partim extra eam etiā meridiem
uersus & occidētem excurrunt, Sudetas
appellari tecum sentio. B E R . Hi itaqz
cum reliquorum metallorum omnium,
tum maxime argenti feraces sunt. Fodi
nas enim eius generis metalli celeberrī
mas quasqz in ipsis esse nouimus. Atque
adeo Fribergū in pede pene istorū mon
tium, qua parte ad Misniam spectant, si
tum est. Annebergum item & Gairum,
quæ inter Fribergum & uallem interia
cent, Snebergum uero ad Muldam flu
men,

men, ubi īdem in occidentem uergunt.
Atq; ī metallicos omnes, qui ea loca ī/
colunt, antiqua & nobilis ducum Saxo/
niæ familia dominatur. Vallis autē hæc
ītra ipsos mōtes est, & in eisdem uersus
Morauiam, Igla & Cottenhambergum: uer/
sus Silesiam Reichensteinum, Aldeber/
gum, Cuperbergum, Goldebergum. Ha/
ctenus loca quæ argenti metallis abun/
dant, uno atq; altero excepto, recensui.
Iam in īsdem montibus sunt non paucæ
plūbi candidi fodinæ, ē quibus olim mul/
tum floruerunt Aldebergum, Irberesdor/
fum & Graupum: nunc floret Sclacche
baldum, quod à nostra ualle nō amplius
duodecim milia passuū abest. Totidem
ferè Pleistadium, in quo loco plumbum
nigrum effoditur, unde & nomen habet.
Fodinæ autem ferrariæ innumeræ, quas
præterire mihi uisum est. At æris metal/
lis & plumbi nigri Melibocus mons ma/
gis abundat, in quo sunt Eislebum, Man/
nifeldum, Hochestadium, in quibus mul/
tum æris conficitur. Est in eodem Gosla/
ria, ubi tantū Galenæ, ex qua plumbum
nigrum excoquitur, inuenitur, ut mons

b 3 quidam

quidam fere nihil nisi Galena esse uidea-
tur. Argenti uero uiui magna admodum
copia reperiſ Schonbachij, quod ipsum
quoq; in Boemicis montibus situm est.
N A E . Cornelius Tacitus qui de Germa-
nia q; potuit homo Latinus id temporis
diligentissime scribit, ita ait; Argentum &
aurum propitijs an irati dij negauerint du-
bito. Ex quibus uerbis perspicue intelli-
gi potest, nullas eorundem metallorum fo-
dinas olim in Germania extitisse. Adie-
cit tamen id quod uirum prudētem de re
incerta & dubia dicere decuit, Nec tamē
affirmauerim nullā Germaniae uenā ar-
gētum aurumue gignere, quis enim scrū-
tatus est? B E R . At hodie plurimi scrū-
tantur & re uera inueniunt Germaniam
præ cæteris regionibus metallis abunda-
re. A N . Nota res est. Sed potes' ne dice
re quando primum fodinæ apud nostros
cooperint? B E R . Dicā ea quæ scio. Fer-
rariæ fodinæ omniū primæ fuerūt, quas
Gothmi qui Gallica lingua usi sūt, ut idē
Tacitus scribit, coluerunt. N A E . Recte
dicas, nam uetustiores non memini, nisi
forte uerum fuit quod Plinij tempore, ut
scribit,

scribit, ferebatur æris fodinas in Germania repertas. B E R . Post Ferrarias Goslariæ fuerunt plumbi nigri, quæ, et si nobis incertum sit, quo anno cœperint, tamen sub Othono magno imperatore, ut annales nostri referunt, primum fodiebantur, id est, annos circiter ducentos & vingt' ante Fribergum, quod est in Misnia, cuius fodinæ celeberrimæ anno ab hinc tricentesimo septuagesimo tertio casu quodam coli cœperunt. Cum autem argento maxime abudarēt, & ob eā ipsam causam plures undiq; , qui rei metallicæ operam darent, cōgregarentur, quasi coloniæ quædam ad loca uicina, licet non iisdem temporibus, deductæ sunt, è quibus nobiliores & quæ hodie etiā florent Iberesdorffum, Gairum, Aldebergum, Trapenaurum uero & Mocchēbergum fere obliuio obruisse uidetur. Sed & Igla ipsa Fribergum subsecuta est, quantum ex legib; , quas ab illis se trassumpsisse aperte fatetur, colligi potest. Post Iglam Cottenbergum fodì cœpit. Snebergum autem abhinc annos duo de sexaginta, Annebergum septem & triginta, Nuper

uero hæc uallis nostra nō minus reliquis
argento abundans, & uiris metallicis re/
ferta , à quibus proseminati ferè sunt hi
qui fodiunt Pleistadium, Cinstadium, Bi/
setalum. A N . Pergrata hæc temporū no/
tatio fuit: uerū nīmum festinamus, subsi/
stamus parū atq; in ipsam uallem despī/
ciamus. N A E . Deum immortalē quot
& quāta ædificia, quæ tū uallem tegunt,
tū ita montibus ex utracq; ipsius parte hæ/
rent, ut alterū alteri quasi incumbere ui/
deatur: aliquā ex magnis urbibus nostris
Erphurdium puto uel Pragam pene ui/
dere mihi uideor , aut quātas Italia habet
Bononiam & Patauium : & audio, quod
magis mirum , perpaucos esse annos ex
quo fodinæ hic cultæ sunt. B E R . An/
nus est duodecimus cum una modo casa
esset iuxta ueterē puteū fere collapsum:
per idē temporis in Thermis Caroli quar/
ti imperatoris erant Alexāder comes Le/
iñicius uir strenuus & qui persæpe Tur/
cis terrori fuit, Volfgāgus Schonbergius
Baro nō minus prudentia q; genere & di/
uicijs clarus, Stephanus Slico qui in bel/
lo contra Turcas infeliciter gesto, ut sci/
tis,

tis, fortiter occubere potiusq; fugere maluit, & præter hos ē Tomisernis quidā, qui fatis ita uolentibus consilium de ueteri puteo instaurādo ineūt, quod ipsum cum collatis pecunijs, agere cœpissent, non longo tēpore post fossores uenā argento diuitem inueniunt: ea res uicinos commouet, maxima undiq; confluit turba metallicorum, quorū pars uirgula diuina uenas quærit, pars conjectura quādam artificiosa, atq; fossas agunt: uix putes quibusdam in locis fodī cœptus est, cum sub summo quasi cespīte argentum inueniunt: ut in Turcarum monte, quem ē regione conspicitis, euenit: & in altera parte huius montis, quem à Scottis nostri appellant: quod sane multo etiam plures huc traxit, ut sumus omnes fere homines pecuniarum audiī, & paruis sumptibus ac labore q; minimo ditescere cupimus: qua de re tot domus extuctæ, tot putei effossi, tot cuniculi in montes sunt acti. N A E . Mira narras. B E R . Quos nunc montes arboribus spoliatos cernitis, in his densissima sylua erat: & ualles quas iam tot milia hominum habitant, la

tibula erant ferarū. A N . Ut modo unum
e' montibus Turicum, alterū Scoticum
nominabas, ita ne & reliquis sua sunt no-
mina: B E R . Maxime. quem e' transuer-
so conspicitis, qui ē in longū sine interie-
cta ualle meridiem quasi uersus portēdi-
tur, à Turcis, ut dixi, appellant: qui uero
præ cæteris omnibus in altum erigitur,
ob id Turriferum nominant. Huic qui
subest medius, ut est, uocatur: quem autē
ultimum ex eodē latere uidetis Solaris,
quod ad solem orientem spectat, dicitur:
atq; hi omnes unius lateris montes respe-
ctu uallis orientem uersus siti sunt. Alter-
ius uero, quem primū cernitis ipsi à Ni-
colao quodam, proximo à cuneo nomen
dederunt. Tertius ordine est Carbonari-
us. Quartus, in quo nūc stamus, à Scottis
nomen accepit: eum sequitur qui à sacer-
dotibus dictus in superiorem & inferio-
rem diuiditur. A N . Vnde hæc nomina
mōtibus: Fuerūt ne hic Turcae: B E R .
Absit ut Turca in medium quasi magnæ
Germaniæ regionem penetret, quo Ro-
manus qui toti fere orienti & occidenti
imperabat, tot cruentis bellis peruenire
non

non potuit. Sed sic uulcus metallicorum
nominat ut unum ab altero distinguere
possit. Pergamus nūc uix enim medium
montis superauimus. N A E . Præcedas.
Sequimur. A N . Nimium festinamus.
B E R . Credo te diuitem factū quod tam
tarde progrediaris. A N . Quid ita uero?
B E R . Quia nuper quidā, cuius nomen,
ne quempiam laedere uelle uidear, taceo,
antequam ditesceret, & in summa adhuc
egestate esset, quotidie bis aut ter nihil
questus hunc montem ascēdere solebat,
ut uero melior fortuna aspirare cœpit,
mox de difficultate anhelitus conquerit,
& auram ait esse grauem, se ultra in ualle
commorari nō posse. A N . Quid narras?
ita' ne diuitiæ mutat̄ mores? B E R . Quid
alijs contingat nescio, sic certe istum uidi
mus mutatum. N A E . Vulgi quidē mo-
res hoc modo mutari solent, optimorum
autē uirorum minime: quorum animus
rebus secundis nō effertur: aduersis non
deīscitur, sed semper idem est & manet.
A N . Aēr satis serenus & gratus est in
ualle hoc anni tēpore, qualis uero in au-
tumno & hyeme sit ignoro. B E R . Sole
bant

bant quidē his potissimum temporibus,
quæ modo dixisti, esse nebulæ tantæ &
tam crassæ ut uallem totam obtegerent,
& aspectum etiā solis interdū nobis adi-
merent, & iure quispiam tum dicere po-
tuisset nos non aliter ac Cimmerios in te-
nebris uersari: nunc uero tum syluis præ-
cisis, tū multis cuniculis, per quos riuuli
aquarum effluunt, in mōtes actis, cessant
nebulæ, utpote mōtibus aridiorib⁹ factis
& aura liberiori reddita: atq⁹ ita etiā ual-
lis nostra caligine ultra nec circunfundit
nec occultaſ. Sed de his satis, iā enim pro-
pe uenā, quam uidere uultis, sumus. Ve-
na etiam, quā nūc gradimur, subest, quæ
Stellam per trāsuersum dissecat. N A E.
Habet ne ipsa nomen? B E R. Habet He-
terespēgiam nominant. N A E. Vnde?
B E R. Ab inuentore. N A E. Quid au-
dio? uenis & puteis ut olim apud Hispa-
nos ab inuentoribus nomina induntur?
Si enim recte memini Plinius scriptum
reliquit, Mīrum adhuc per Hispanias ab
Hānibale olim inchoatos puteos durare
sua ab inuentoribus nomina habentes, ex
quis Bebelo appellatur. B E R. Nōnullis ab

ab alijs rebus prout inuētori placuit, pro
xime enim fodinæ sunt, quarum alia Cæ
sar Germanicus nominatur, alia asinus
aureus, alia ursus. Vides terminū hunc?
N A E. Lapidem uideo terræ infixum.
B E R. Recite. Bacchus uocatur hæc di
mensio. N A E. Quid Bacchus agit in his
montibus ubi uix crescunt pruna sylue
stria? B E R. Est, ut dicis, sed hic inueniū
tur tot & tantæ massæ argenteæ, ut si cui
fortuna bene uelit, ipsi uina, uel è Creta
usq; allata, defutura non sint. Suum autē
nomen fodinæ dedit Bartholomeus Bac
chus, uir omnis antiquitatis & eruditio
nis amantissimus, nosti hominē? N A E.
Noui. Abstemium non Bacchum dici o
portebat; nam paulum uini bībit. B E R.
At partes in hac ipsa fodina nonnullis do
nauit qui hilares esse solent, è quibus unū
tibi nominabo Eobanum Hessum poëta
rum omnium, quos hactenus Germania
habuit, in elegia, mea sentētia, facile prin
cipem. N A E. In eodē genere carminis
ipsum non longe sequitur Iacobus My
cillus iuuenis optimo ingenio & flagrāti
studio. Sed Eobanus dignus pfecto esset
fortuna

fortuna Suiceri. q̄ uelle Heterespbergiam
uenā argenti tam feracē esse q̄ Stella est.
B E R. Est sane, nā & ipsa in monte Tur-
cico, ubi aliud nomen habet, ingentes the-
sauros effudit, neq; exiguos in pede hu-
ius montis; sed hoc in loco nec profundi-
satis sunt putei, nec cuniculi huc perueni-
runt, quā ob rem hic etiā aliquid nos effi-
cere posse speramus. N A E. Si spe quicq;
efficeretur, equidē una cum Eobano spe-
rarem, tam amo uirum, cum quo mihi
olim Erphurdij magna familiaritas inter-
cessit. B E R. Sperandum omnino est;
siquidem præter spem nostris interdum
nihil est, puteis ad centum usq; orgyas ef-
fossis, & quem ad modum recte dictū est,
Spes alit agricolā, ita eadem sola persæpe
metallicū ad intima terræ uiscera & Plu-
tonis regna ducit. A N. Ego spem precio
nō emo. B E R. Quid ita? A N. Quia mul-
tum in fodinas sumptū facere oportet, qd
si iā spes feſellerit, merito me deridēdum
putarē, qui quæ certa erant in incerta im-
penderim, & temere me fortunæ cōmisi-
tim. B E R. Nīmia ista tua prouidētia ob-
ſtabit, q̄ minus unq; uel bon? metallicus
uel

uel diues, quo` peripatetico aspirare lice-
ret, fias. Atq; hac certe rōne necq; agrico-
la sereret, quia timēda sit calamitas, necq;
mercator nauigaret, quia naufragiū perti-
mescendū, necq; quisq; in militiā iret, quia
incertus sit belli exitus, sed bene sperant
omnes & feliciter sæpius procedit, nemo
uero animo q; abiecto & timido fuit unq;
rem fecit, aut etiā faciet. Sed deflectamus
ad sinistrā & ad puteū, cui Cōstātinus no-
men est, accedamus. N A E . Quod tu mo-
do puteum, Vitruuius specum appellat.
B E R . Ita est, atq; cū eo Germanicū no-
strū conuenire uidet, uoce deducia à uer-
bo, quod licet utriq; nationi diuersum sit,
idem tñ significat. Est autē Constantinus
dimēsio quinta uenæ Stellæ. N A E . Au-
spicatū sane & impatoriū nomen puteus
hic habet; largiet, ut decet impertaorem,
regia prorsus munera. B E R . Speramus,
& nuper cōoperat, atq; uno & altero die
quīnquaginta pondo argēti effodiebant,
interea nihil uidimus, desyderamus in eo
constantiam. A N . Quasi uero nō speran-
dum uobis esset. Sperate cum iterum ar-
gentū eruetur, tum forte cōstantior erit.

B E R .

B E R . Tunc etiam ubi res cum nomine
concordabit uere Constantinus appella-
bitur, atq; adeo si abunde argentum lar-
giatur, magnus. N A E . Quid hic uideo?
B E R . Machinā uides tractoriam, quam
duo iuuenes robusti circumagunt, & si-
tulis quicquid mōtis decussum est extra-
hunt. N A E . Labor non exiguus esse ui-
detur. B E R . Omnia maximus: à sum-
mo mane usq; ad uesperā carris, id quod
extraxerunt, euehentes, ad eundem labo-
rem, tanq; Sisyphus ad saxum, redeunt.
N A E . Ancon noster si in duos menses
machinam uolueret, nō in Crassorum fa-
milia, ut nunc, censeretur, sed Macer fu-
turus esset. A N . Inimicis ista precanda,
sive malis Stoicis, qui suam tolerantiam
prædicant, haudquaq; Peripateticis aut
Epicureis quibus ornatior & delicatior
uita placet. B E R . Hoc loci nihil iam ex-
gregij uidebitis, eamus ad eiusdem uenæ
puteos argēti feraces. N A E . Quā pīctu-
ram occidētem uersus in tabula, foribus
casæ cuiusdam præfixa, cōspicor: homi-
nis bifrontis imago ne est? B E R . Ianus
est. N A E . Ianus; B E R . Ille ipse, quem
antis

antiquitas iccirco , quēadmodum scitis,
bifrontem finxit quod & præterita sciue
rit & futura præuiderit. N A E . Quid pu
teus eo ne nomine appellatur? B E R . Sic
nomen ipsi dedit Bacchus noster. N A E .
Ille' ne deos eligit quorum in tutela fod
nas suas esse uult? B E R . Quin potius al
tera appellatione, nempe Bacchi, ad no
men suū, ut ante quoq; dixi, alludit . Hac
metallicos quosdam monet, ut quemad
modū Ianus olim erat, ita & ipsi sint pro
uidi, ne omnibus pecunijs exhaustis, in
extrema tandem egestate uiuant. N A E .
Ianus qui bifrōs est minime fallet, ut nec
ipse falli potest. B E R . Quid futurum sit
forte Ianus prouidere , aut Lynceus qui
omnium acutissime uidisse traditur, cer
nere potuisset. Nos, quibus tanta prouis
tentia & acumen uisus negata sunt, nesci
mus. Speramus tamen indicijs quibusdā
adductū. A . Quid aiss? sunt ne uobis indi
cia? B E R . Maxime . A N . Sint sene, ut
dicis, at incerta prorsus & dubia sint ne
cessse est . Qui enī scire potestis quamdiu
ea ipsa firma erunt; aut si diu etiam erunt
firma, argētum certe subesse; mihi quidē

c nullo

nullo modo id fieri posse uidetur: quæ enim acies humani ingenij aut tanta est: aut esse possit: ut in intima terræ penetrat, atq; quid ibi recōditum sit inspiciatur? Certe si quid fodiendo efficitis, illud ipsū uos laboris instantia & bona fortuna potiusq; arte aliqua efficere credo. B E R . Siue arte, quæ, ut quidem ego sentio, hic non omnino nulla est: siue fortuna, ut tu uis, quippiam assequamur, nō referre puto: id modo assequamur, quod tam uehementer optamus, ob quod tot molestias & erūnas perferre solemus, cuius deniq; gratia & dies & noctes tantopere laboramus. N A E . Ne nunc in hunc latum disputationis campū ingredimini, ubi maiore uacationē habebimus, de his nobis dissenserendum erit, & quidem accuratius. Certe & hæc uena per transuersum Stellam secat. B E R . Ita est. N A E . Quo nomine appellatur? B E R . Triadis. A N . Auspicato sane, ternarius enim numerus initium, mediū, & finem, quibus omnia transfiguntur, continet. N A E . Quia hic omnium perfectissimus est, nō erit uena sine argento. B E R . Satis uberes fructus in

In monte, cui à Turcis nomen esse diximus, dedit, nec multo minores in radice huius mōtis : quid uero in hac uelutī plānicie datura sit, tempus, quod omnia rēuelat, ostendet. N A E . Nouam figuram domus conspicor. Pyramis aliqua mihi esse uidetur. A N . Mihi uero ad exemplū etiā Panthei Romani facta. B E R . Per belle, siquidē in ea Plutus habitat omniū deorum potentissimus. Aedificium enim hoc super puteū, qui tantas diuitias cum multis qui egestate olim ualde oppressi erant, tum Suicero largitur, extructū est. N A E . Quid Plutus tādem respexit egenos? Chremylus ne aliquis illum ad Aesculapium duxit, ut ipsi uisus restituere tur? B E R . Minime. Sed metallici qui multum & diu intra terram, quo se abdere solet, eum querunt, cum uero inuētus fuerit, sub dium protrahunt; quod ubi fit maxima undiq̄ hominū multitudo eius uisendi gratia accurrit, atq̄ ipsū magna cum lāticia & ingenti plausu excipiunt. N A E . Non minori credo quām Veneti suas naues, mercibus oneratas, cum eas uel ex Beryto, uel Alexandria redire ex

altissima turri prospiciunt. B E R. Duxit
uero ipsum non ad Aesculapij, sed ad offi-
cinas metallicas ut suam lucem & nitorem
recipiat: quam ob rem eos beare solet.
N A E. Læta hæc sunt, his potissimum qui-
bus ea felicitas contingit. Sed cur ab alijs
fodinarum casis hæc differt? B E R. Intel-
liges, ingrediamur. N A E. Deum immor-
talem quantam machinam uideo, est ne
pro expugnandis urbibus, ut olim aries
& testudo parata? B E R. Pro expugnan-
da uena hac, quæ argento abundat, fabri-
catam uides, est autem & ipsa tractoria.
N A E. Quid agunt hic equi? B E R. Cir-
cunducunt eam. N A E. Magna facilita-
te, quam uellem nunc Stratonis Lampsa-
ceni librum, quæ de machinis metallicis
scripsit, extare. B E R. Velle & ego plu-
rimum, de machinis enim, quibus ponde-
ra leuatur, præter Vitruuij quædam, fere
nihil superesse scio. N A E. In Stratone
crederem huius & similiū descriptionem
artificiosam inueniri posse. B E R. Forte
inueniret, multæ tamē machinæ, si quid
ego sentio, à nostris hominibus inuentæ
sunt, quæ ueteres illas non parū artificio
uincunt,

uincūt, aut multū ab eis differūt. N A E .
De re quam ignoro non contenderim te
cum. B E R . Equidem quod de machinis
apud Græcos authores fuit, à Vitruvio
transcriptū puto: quod si iam nostra cum
illis cōferes, tum quid intersit iudicare po
teris. Puteorum certe profunditas neces
sitate quadā nostros adegit ut tot & tan
ta instrumēta tractoria excogitarent. Sūt
autem longe maiora & artificiosiora pro
funde admodū in ipsis puteis cum Gairi,
quæ patria mea est, tū præsertim Sneber
gi, ubi puteus fodinæ, ex quo rati thesau
ri, nostra fere memoria, effossi sūt, ducen
tarū ferme orgyarū altitudine est: quare
eiusce modi machinis opus fuit. N A E .
Quam puteorum profunditatem narras,
atq; etiā restant adhuc inferi: B E R . Imo
Cotrenbergi putei sunt plusq; quingēta
rum orgyarum altitudine. N A E . Et non
dum aulā Plutonis expugnarunt metal
lici: A N . Profecto si uera esset opinio Py
thagoreorum, qui terram non in medio
ut centrum statuūt, sed circulum, qui cir
ca medium uoluitur, iam dudum ille ipse
in tanta puteorū profunditate perfossus,

iter metallicis ad eos qui aduersi nobis
stare dicuntur, aperiisset. N A E . Xeno-
phanes Colophonius & Empedocles qui
immēsam & infinitam terræ profundita-
tēm decreuerūt, hoc argumēto, tanquam
sensuū iudicio, nixi aduersarios suos for-
titer oppugnassent. Sed multum forte a/
quæ habēt tā alti putei. B E R . Quidam
planè sunt aridi in tāta profunditate: qui
dam adeo multū aquæ continent, ut Tha-
les Milesius hinc terrā aquæ , ut ligna so/
lent, innatate probare posset. N A E . For-
tassis in his uel ad Styga , uel ad Cocytū,
uel ad aliquem alium inferorum fluuium
à uestris peruentum est, B E R . Ut ut io-
camur genus certe dæmonum in fodinis
nonnullis uersari compertū est: quorum
quidam nihil damni metallicis inferunt,
sed in puteis uagantur, ac laboribus cum
nihil agant, se exercere uidentur: nunc ca-
uando uenam, nunc ingerendo in situlos
id quod effossum est, nūc machinam uer-
sando tractoriā, nunc iritando operarios,
idēp̄ potissimum faciunt in his specubus
ē quibus multum argenti effoditur, uel
magna eius inueniendi spes est. Alij uero
noxij

noxij admodum sunt, ut ille qui ante aliquot annos Annebergi in fodina cui nomen Corona Rosacea, tantopere infestabat metallicos, ut duodecim, quæ res multis nota est, necarit, ac ea de re fodina, quantumuis argento diues esset, relicta fuit. A N . Eius generis dæmonum, quod in metallis esse solet, inter reliqua, sex enim numerat, Psellus mentionem fecit, atque id ipsum, ni fallor, cæteris peius, ut quod crassiori materia amictum sit, esse dicit. B E R . Sunt inter eos non nulli, ut dixi, ita praui, ut metallici eos non secus ac pectem quandam præsentissimam auersentur & fugiant: alij contra mitiores, quos frequentes adesse & laborem eorum sapientius audiri non modo non ægre ferunt & dolent, sed etiam exoptant & pro bono omni ducunt. Sed mittamus dæmones, tot & tantis machinis opus fuit ut aqua & id quod effossum esset, extraheretur. N A E . Digna profecto essent hæc & eiusmodi alia instrumēta ut posteritati transferrentur. B E R . Digna plane, & arbitror breui futurū. N A E . Magnus situlus hic est. B E R . Eum minores octo uix explere

re queunt: hac itaq; machina die uno tan-
tum montis decussi extrahitur, quantum
altera octo integris diebus. A N. Funis
quocq; ductarius cuius rudenti æquādus
est. N A E. Videamus ea quæ extracta
sunt. B E R. Melius extra casam in tumu-
lo è fodina egesto à uobis uideri poterūt.
Primo nancq; argenti materiam cōspicie-
mus: narrauit enim mihi præses fodinæ
mox cum alter situlus extraheretur quæ
dam inesse quæ multum argenti contine-
ant, N A E. Nō mihi displicet. A N. Nec
mihi. B E R. Statim fiet: si quidē puteus
non multum profundus est, non enim ul-
tra sexaginta orgyas, quod si ad centum
eo modo quo cœpit argentum fuderit,
regiae prorsus diuitiæ effodiētur. N A E.
Dies posteri quid fiet indicabūt, B E R.
Vena certe extensio, exitus, fibræ ma-
gnum quiddam pollicentur, sed situlus
iam extractus est, & aluei quidā in eum
impositi à præside & suis extrahuntur ut
eos in domicilium quod hic proximū est
ferant, quam ob rem sequamur. N A E.
Probe dícis, eiusmodi enim materiæ ui-
dendæ gratia tecum ascēdimus, B E R.

Ingre-

Ingridimini, N A E . Quot situlos & al-
ueos uideo. B E R . In his omnibus ar-
genti materia est , atq; hic primum uides
Galenam siue plūbaginem. N A E . Est ne
hæc plumbago, quā Plinius μολύβδωναρ
etiam uocat ; B E R . Ita sentio. Huic ta-
men sententiæ isto modo adhæreo, ut si
quis claris & euidentibus argumentis ali-
ter se rem habere probauerit , nō inuitus
me ab ea auelli sinam. N A E . Probe di-
cis, & eo animo maxime quēq; esse opor-
tet, qui in quauis re uerum inuenire sine
pertinacia & contētione uelit. Sed, obse-
cro , díc nobis quibus īdicijs persuasus
Galenam id esse putas? B E R . Quæ nūc
mīhi homīni metallico succurrunt, ea di-
cam , neq; dubito quín à philosophis &
medicis lōge & plura & accurata magis-
dici possint, modo tantū otij sibi sumant,
ut in hanc rem animos parum intēdant:
nam multa confyderatione opus ipsis nō
est. Galena itaq; uena tum solius plumbi,
tum communis argenti & plumbi uoca-
tur: id qđ aperte ex uerbis Plinij, quæ ita
habet, colligit. Loqtur aut de terra in qua
inest argentum. Excoqui non potest nisi

cum plumbo nigro aut cū uena plumbi.
Galenam uocant, quæ iuxta argenti ue-
nas plerūq; reperitur. Libro uero sequēti
ita scribit. Est & μολύβδου, quā alibi Ga-
lenā uocauim⁹, plūbi & argēti uena cōis.
N A E. Satis clare ex his uerbis Plinij Ga-
lenā uenā esse uel plumbi tantū uel plum-
bi & argēti simul intelligit. B E R . Iam
constat plumbū, de nigro loquor, ex hac
una materia, quā cernitis, & alio quodā
genere non perinde ita fœcundo huius
metalli, excoqui posse: modo solū, quale
ferè est Villacense, modo uarie mixtum
argento, ita ut eiusmodi plumbi talētum
nunc libram argenti, nunc medium: inter-
dum etiam minus contineat. Aliud præ-
terea genus Galenæ est, huic, quod iam
uobis ostendi, colore nihil dissimile, sed
prorsus sterile & ita subtile ut totum ui-
lentia ignis consumatur, ac per fumum
euaporet. Hæc prima mea cōiectura est,
quod si quis ex alijs quibusdam quam ex
his ipsis, de quibus modo dixi, plumbum
nigrū excoqui unquam aut uidit aut au-
diuit, dicat & minime grauiter ferā rem
in dubiū uocari. N A E. Non coniectura
est,

est, meo arbitratu, sed argumentum satis
firmum, si tu, qui tot regiones peragasti
ex nullo alio genere plumbum nigrum
confici uidisti. B E R . Equidem nō uidi,
quid alij uiderint nescio. Altera coniectu
ra leuis admodū est, fateor. Galena siue
Hispanicum, siue alterius gentis uocabu
lum sit, nihil moror: nam nostrū non esse
hinc perspicuum puto, quod serius me
talla fodi cœpisse in Germania constet:
id certe nostri imitati, eandem rem simi
liter, ultimis tātum modo literis mutatis,
appellarunt. A N . Hæc coniectura sua ui
satis firma esse non uidetur, priori uero
iuncta eam non parū confirmat. N A E .
Marcellus Virgilius, qui post Hermolaū
Barbarum Venetum & Ioannem Ruel
lū Suectionēsem, uiros doctissimos, Dio
scoridem interpretandum sibi sumpsit, u
triusq; linguæ, mea sententia, nō fuit im
peritus, sed in harum rerum cognitione
penè rudis. Is mihi semper uisus est erraſ
se, cum scribit in annotationibus suis se
credere Galenam à Galecia Hispaniæ di
ctam. A N . Quid ita: N A E . Quia Pli
nius hac parte mihi grauiſſimus auctor,
negat

negat in Galecia plumbū nigrum, quod ex Galena conflatur, fieri: ait enim, Non sit in Galecia nigrum, cum uicina Cantabria nigro tantū abundet. A N. At idem candidum tam in Galecia quam Lusitania gigni scribit. B E R M. Verum id ipsum non ex Galena, sed lapillis nigris, quod ipse etiam indicat, conficitur. A N. Discedamus à Marcello qui metalla nūs quam se uidisse commemorat. B E R . Re cte, nā permultis erroribus, qui ex diuersis proferri possent, nunc supersedēdum est. Tertiā autem, si placet, coniecturam audite. A N. Maxime. B E R . Colore plumbī, ut uidetis est, atq; ob id Græcis μολύβδανη, Latinis plumbaginē dictam arbitror, nisi quis iccirco potius, quod ipsum etiā pro me facit, sic dictam uelit, quod ex ea plumbū fiat. Hæc itaque sunt quæ pro plumbagine dicere uolumus & possumus, quæ si uobis uidetur uera aut ad uerū quam proxime accedere, habeo quod uolo, sin minus, non labore: quin etiam uos adhortor ut contra hæc dicas. N A E . Ferè mihi persuaseris, unus tantum restat scrupulus, qui me urget.

B E R

B E R . Quis tandem ille est: uidebo an
tibi eximi possit. N A E . Dioscorides
Molybdænam suam fossilem, quæ ad Se
bastiam & Corycum inueniebatur, flauā
esse scribit & splendentē, at quam tu nūc
nobis mōstras splēdet quidem, sed plum
bea est, haud quaç̄ flaua. B E R . Possem
equidem respondere, me de Plinij Gale
na, quam ipse Molybdænam uocari scri
bit, dixisse, & sic nihil prorsus mea op̄i
nio labefactata esset, sed quia adhuc pen
deres animi, dicam quæ ego sentio: tibi
deinde uel consentire uel dissentire libe
rum erit. A Dioscoride Galæna hæc,
quæ plumbi colore est, si quid ego iudi
co lapis μολυβδηνός quod plumbi spe
cie sit appellatur, atque is à Molybdæna
natiua ipsius Dioscoridis magis colore
quam materia differt. N A E . Quid ita de
lapide plūbario iudicas: forte quod plū
bi specie sit: at enim quæ specie & colo
re non differunt, non statim eiusdē etiam
materiæ sunt: nōne gemmas hodie ex
uitro natiuis illis tam similes quidam fin
gunt, ut persæpe imprudis imponant:
quas tamen lima & ignis peritis nō gem
mas,

mas, sed uitra esse coarguunt. B E R . Ve
ra dicis, & profecto multa alia sunt quæ
persæpe specie fallūt. Sed lapidem plum
barium materiam plumbi in se continere
ex ipso Dioscoride perspicuum esse po
test, qui easdem uires ipsum habere scri
bit, quas habet tum plumbū lotum, tum
recrementum plumbi, & eandē quam po
sterius præparationem. N A E . Memini.
Sed audi Ancon, credebā nos sermonem
habituros cum metallico quodā, at cum
philosopho & medico, ut uideo, disputa
mus. B E R . Ego merito rideor, qui me
nō intra septa mea, quod modestiæ erat,
contineo, sed in istos uestros campos ad
modum latos & mihi plane incognitos
egredior; ubi quid facili⁹ est, q̄ aberrare?
uestrū igit̄ erit, me reducere in uiā. N A E .
Minime rideris, neq; hactenus, meo iudi
cio, erras, perge igit̄. B E R . Quod latini
uenā, Græci modo terrā, modo lapidē, ut
audio, appellāt; atq; ita mihi lapis plūbari
us dictus esse uidet̄, ut uena plūbaria dici
solet. N A E . Venā, quēadmodū intelligo,
materiā dicas ex qua metalla excoquunt̄.
B E R . Recite accipis. N A E . Aeris itaq;
uenam

uenā Galenus liberū nobis relqt uel ter-
rā uel lapidē noīare. Sic tu quoq; lapidē
plūbariū, materiā ex qua plūbū fit, dicitū
putas. B E R . R ē tenes. Plinius præterea,
qui Diſcoridē fermē latinū fecisse dicit,
Galenæ, quā etiā molybdænā uocat, ap-
pellatione cōtētus nusq; lapidis plūbariū
meminit: quinetiā uester Galenus, ut mi-
hi nuper quidā retulit, scribit se unā cum
multis alijs natiuam molybdænā lapidis
specie, quēadmodū Cadmiā in mōtibus
& riuis Cypri, projectā uidisse in uia, quę
à Pergamo ad officinas metallicas ducit:
nec seorsim lapidis plūbariū mentionē fa-
cit, forte quia & ipse pro eisdem habuit,
quia nō materia, sed colore solū differūt.
N A E . Est ut dicis. B E R . Postremo Gale-
nus i lib. q de cōpositione medicamētorū
p genera inscribit, eo loco qd inter em-
plastra ex lithargyro & molybdæna prę-
parata intersit, scribit, inter cætera, ut mi-
hi aī paucos dies qdā è Gręco interpreta-
bat, ait è cerusa & lithargyro alba, è mo-
lybdæna subfuscā & quę cineraceo colo-
re sint cōfici, id qd' expiētia ita esse nupdi-
dici, accepta nostra Galena, nō flaua illa,
sed

sed plūbea, aqua & oleo, ὑδρέλαιον Græci, putto, appellant, atq; ex eis emplastro præparato. Sed ē molybdæna etiā, quæ operæ fornacum fit, metallicam Plinius nominat, eiusdem quasi coloris emplastrum fieri comperi; hoc tamen interest, quod metallica igne liquefit dum in emplastrū coquitur, natuua uero ut Cadmia lapides & harenæ etiam, nō liquefit, et si in puluerem tenuissimū fuerit redacta. N A E. Quid igit̄ Dioscoridi uisum est, qui scribit eam oleo incoctam iocinoris colore fieri. B E R. Recte sensit, nā eum colorem cum oleo tātum coquitur, assurmit. Sed Plinius hac parte, cum Dioscoridis uerba latine reddit, memoria mihi lapsus esse uidetur. Dioscorides enim facticiam, ipse natuam ubi oleo coquitur, iocinoris colorem referre scribit. N A E. Idem mihi uidetur, nec mirum est in tanta rerum omnium cōgerie. B E R. Caudide iudicas. N A E. Multa nunc dixisti Bermanne, in quibus tibi assentiar necesse est, & quia sic esse apud Galenum & alios sciam, & quia nihil mihi iam occurrit quod obijciam, nondum tamen expli casti

casti quæ esset fossilis illa flaua, & splen-
dens Dioscoridis Molybdæna. B E R .
Singularis quædā memoria tibi est, mul-
ta enim modo à me non ob aliud dicta
sunt, quām ut te lōgius ab eo quod quæ/
rebas abducerem, & ne, si quid de re non
satis cognita dicerem, in scopulū aliquē,
quod ualde timeo, impingerem. N A E .
Iocaris, dic quæso si quid habes. B E R .
Extra iocum nihil certi habeo, sed quia
ita uis, dicam quæ mihi uidentur. N A E .
Dicas modo. B E R . Galenā quæ plū/
bi colore est, dixi à fossili illa Dioscoridis
magis colore quām materia differre. Iam
cōsentaneum est eidem materiæ differen-
tes colores esse posse, diuersi enim uapo-
res, è terræ uisceribus elati, unam & ean-
dem rem diuersis coloribus tingunt, &
nos uidimus non unius coloris Galenā.
Nam etsi frequentissime plumbei quasi
coloris resplendentis sit, inuenitur tamen
interdum nigra, interdum cerulea, inter-
dum etiam iocinoris colore infecta, quas
omnes postquām cultello scindere tenta-
bis, non aliud quām Galenam esse certo,
tantum harum rerum omnino rudis non
d sis,

sis, cognosces. Quid igitur mirum flauā etiā inueniri: in calidīs præsertim regionibus: quin apud nos non raro flauedine quadam obducta est, quæ & ipsa plumbum in se continet. N A E. Hanc crediderim Dioscoridis esse Molybdænam.

B E R. Forte est. Flauum quoq; id quo conspersam esse Galenam solere iam dixi, seorsim reperitur in uenis satis copiosum, nonnunquam ita calore terræ temperatum, ut quum primum aspexeris metallicum quiddam in se continere dicas. Splendet etiam, maxime si scindat.

N A E. Et tu adhuc dubitas hāc Dioscoridis esse? B E R. Ego nihil temere affirmare uolo, uos per ocium diligentius inquirete. Sed audias rogo. N A E. Au-

dio. B E R. Si Ancon ita, ut tu coepisti, me oppugnauerit, ego profecto saucius & defessus, abiecto clypeo, è prælio au-

fugiam. A N. Ne timeas. N A E. Ri- dicule, quasi uero uerba eum iam in fugā uertere possint, quem olim fragor armorum non terruit. Quare si quid uelis An-

con interroga. A N. Nihil est quod in terrogem, nam ego Arabes arbitror Mo-

lybdænam

Iybdænam ignorasse, uel eandem Lithargyro putasse. Siquidē Serapio qui in ea gête cæteris omnibus qui de materia medica scripsierunt, diligētior fuit, nihil seorsum de ipsa, ut de alijs solet, scribit. Sed cum de plumbo agit, confricturæ eius ad di, Dioscoridem imitatus, solū dicit; nec alius locus quisquam, in quo eius mentio fiat, nūc mihi succurrit. B E R. Neque metallicæ meminerunt. A N. Nō quod ego sciam, nisi forte in alicuius emplastri descriptiōe eius meminitissent. Sed cognoscis ne ipsam? B E R. Opinor. A N. Si nobis eam quoq; indicares, quā si postliminio qdam iure à nobis in usum medicinæ reuocaretur. N A E. Veteres ipsa magis quām fossili usi fuisse uidetur. B E R. Probe dicis, sed hic indicari non potest. In officinis uero, in quibus metalla excoquuntur, commode à uobis uidebitur. A N. Perge igitur ad reliqua. B E R. Pergam, en uobis pyriten. N A E. Pyrites ut de quo multa in Græcorum libris scripta sunt, apud uos est. B E R. Opinor. Si tamen satis probabilibus indicijs hoc nomen rei quam ostendo, affere-

re uobis nō uidebor, me ut pro uestra erū
ditione libere reprehēdatis uolo. N A E.
Nunc Ancon intelligis quātum timeat.
Iubet ut ipsum reprehendamus, & facies
mus si modo uere possumus. Cauēdum
enim nobis maxime ne quid inconsidera
te una statuentes à uero longius aberre
mus. A N. Bene mones. Nam qui fal
sum pro uero persuadere conatur, pluri
mis multum obesse, sibi ipse parū omni
no aut nihil prodeesse poterit. Qua de cau
sa si quid contra te Bermanne dīcturi su
mus, ne succenseas nobis rogo. B E R.
Nisi experientia, id esse pyriten, quod dī
co constabit, ipse meam sententiam da
mnabo, tantum abest ut his qui à me dis
sentient, succensem. N A E. Ille igitur
pyrites est. B E R. Argentarius est.
N A E. Argēteo quasi colore est. B E R.
Argentum quoq; ex eo excoqui potest.
N A E. Quid audio? Argentum conti
net pyrites? Plinius quidem argenteo co
lore pyriten quēdam esse dicit, sed ex eo
argentum excoqui posse, necq; ipse, neq;
ueterum quisquam, quod ego sciam, me
moriæ tradidit. Quocirca uide ut tua sub
sistere

sistere possint. B E R . Subsistens spero.
Primum hoc mihi responde, in tanta rerū
omnium multitudine, & uarietate uete-
res quædam ignorasse, an omnia cognos-
se & literis mandasse credis? N A E . Ve-
risimile est quædam ipsos ignorasse, quæ
dam cognosse, & si ea posteris non tradi-
derint. B E R . Recte sentis. Mittūt ho-
die Moschus, Rhutenus, Bildelapus pre-
ciosas & uarias pelles animantium, quo-
rum ueteres ne uerbo quidem memine-
runt, cum eorum natura non minus di-
gna esset ut memoriæ mādaretur, quām
uel cuniculi, uel uiuerræ. Ita in rebus etiā
metallicis forte quædam ignorarunt, ma-
xime cum ea ipsa pro regionum diuersi-
tate, ut & alia multa, non parum inter se
distent. N A E . Non repugno. B E R .
Concedis ne æs ex pyrite conflatum fu-
isse? N A E . Quid nis: cū aperte id ipsum
Dioscorides dicat, A N . Serapio ē Mar-
chasita æs excoqui ait, forsan idem erit
Marchasita quod pyrites. B E R . Idem
planè. Nam quod Græci & post eos Latī-
ni pyriten, Arabes tui Marchasitam ap-
pellant. N A E . Est ut dicis. B E R . Al-

terum igitur pyritis genus est, quod in argentarijs fodinis non raro, frequentius vero in ærarijs inuenitur, ex quo æs conflare solent, id me in loculis habere credo.

N A E . Ostende nobis obsecro. B E R . Hic uidetis. N A E . Specie æri assimilis est, qualem Dioscorides præ cæteris in usum medicinæ eligit. B E R . Recte.

N A E . Sed Plinius scribit: Pyriten vocant, quoniā sit plurimus ignis illi. Scintillat ne ex eo ignis? B E R . Facile ex eo ignis excutitur, atq; ea de re unà cum Plinio Græcis ita dictum puto, quamuis & inde nomen habere uideri possit, quod igneus color persæpe ipsi sit. N A E .

Posset, sed ab autoribus discedendum non est, præsertim si res ipsa ab eorum sententia non dissentiat, sed eam etiam confirmet. B E R . Bene iudicas. N A E . Perge. B E R . Secundum hoc genus est auro ferè colore, quod unà cum primo, ut idem Plinius scribit, quidā & in Cypro reperiri, & in metallis quæ sunt circa Arcaniam uolunt, N A E . Memini. Sed ipse mihi uidetur pyriten, quem similitudine eris esse dicit, coloribus distinguere,

ut

ut unus argenteo, alter aureo sit. B E R .
Melius me meministi, & bene sane dicit,
ex utroq; enim æs cōflatur. N A E . Nón
ne paulo ante dixisti ex argentei coloris
pyrite argentum fieri? B E R . Dixi, & ita
est. N A E . Argentum igitur & æs in se
continet? B E R . Modo solum argentū,
modo solum æs, modo argentum & æs si
mul, modo sterile omnino est, ut nullum
metallum ex eo confici possit. Sic de alte
ro genere quod aureo colore esse dicit iu
dicabis. Verum præter hæc duo aliud ge
nus est aureo prorsus colore, quo quartū
de quo nunc dicturi sumus, nō raro con
spersum esse solet. N A E . Dic nobis de
quarto genere. B E R . Colore Galenæ
simile est, ut non immerito quispiam du
bitare posset utri adiudicādum, pyriti ne
an Galenæ: nostri eo quo reliquos pyri
tas nomine appellant. N A E . Quod est
illud? B E R . Kisum. N A E . Neq; Græ
cum, neq; Latinum est. B E R . Nostrum
est, non aliunde sumptum. Sed forte nec
pyrites, nec Galena est, sed suum quoddā
genus habet. Nam pyritis colorem nō ha
bet neq; duriciem. Galenæ autem colore

ferè est, sed materia prorsus differt. Conſicitur uero ex eo aurum & argētum, atq; eius magna copia Reichensteini, quod est in Silesia, unde mihi nuper allatū est, effoditur, multo etiam maior Raurisi: sed hoc argenti plus, auri parum, illud aurū solum, aut nō multum ferè argenti simul continet. Est quintum genus colore cine raceo, quod ipsum quoq; Reichensteini subtile admodum inuenitur, ac proximo generi ut ex eo aurum excoqui possit ad miscetur. Hoc idem Aldenbergi in eadē Silesia reperitur, paulo diuersum, atq; ex eo aurum & argentum cōflatur, quod genus nostri etiam Kisum appellant. N A E. Cum descenderis hæc nobis indicabis. B E R. Fiet. Demū illud adiiciendū, pyrites tam aurei quam argentei coloris ſæpe in metallis argentarijs, ſæpius in propria uena reperiri, prorsus, ut & ante dixi, sterilem. N A E. Quis igitur usus ipsius est? B E R. Si multus inuenitur in lapidis quoddā genus cōflatur, cuius usus in argento excoquendo non exiguum est. Sed idem pyrites non raro in riuis reperiatur, quem pleriq; Chymistarum non sine multorum

multorum risu colligunt, cum ferè sit sterilis. N A E . Plinius præter iā dicta aliud genus pyritis indicare uidetur : Pyritarū etiamnum aliqui genus unū faciunt, plurimum habens ignis, quos uiuos appellamus, & ponderosissimi sunt. Hi exploratoribus castrorū maxime necessarij, qui clavo uel altero lapide percussi, scintillas edunt, quæ exceptæ sulphuratis, aut fungis aridis uel folijs, dicto celerius ignem trahunt. B E R . Videtur, sed ex plerisq; quos nunc dixi, ignis excutitur & ponderosi sunt, nec mirum inter eos aliquando reperiri, qui pōderosissimi sint, & ad ignē excutiendum maxime idonei, nō tamen omnino nego aliud genus præter ea, quæ ego nūc recensui, à Plínio significari, qd forte olim inueniemus. Ut autem è duobus primis pyritarum generibus, si sint densi, crassi, & compacti, ignis facile excutitur; ita si rari, subtiles, & in minimas quasi partes dissoluti fuerint, quales persæpe inueniuntur, ne scintillam quidem edunt: quemadmodū nec tria postrema genera, quod necq; ipsa satis solida sint. N A E . Eorum unum aurei prorsus colo-

ris, alterum Galenæ simile, tertium cineraceum dixisti. B E R . Rectissime. A N . Quis igitur eligēdus in usum medicinæ? N A E . Ex Dioscoridis sentētia, qui æris specie est, siue ut Plinius reddidit similitudine, quicq; percussus facile scintillas edit. Alterius generis talis est, si recte accepi. B E R . Mihi uero & primum genus similitudinem quandam æris, si solidū sit, habere uidetur, & si colore nōnihil differat. Excutitur aut ex ipso quoq; ignis, quare meo iudicio non reisciendum. N A E . Videlur etiam mihi nunc, cum χαλκῳδη dicit Dioscorides, speciem æris & formā potius quam colorem significare. Qua de causa dissoluti illi, quia eam non bene seruant, nec scintillas edunt, negligendi. Solidi uero istius generis etiam accipiendo. Sed equidem in his quæ dixisti tibi assentior, quam ob rem, nisi Ancon quicquam dicere uelit, ad alia transeundū putto. A N . Difficile mihi est à uobis dissentire, & me unū duobus opponere, cū in prouerbio sit. Ne Hercules quidem contra duos. Et profecto nisi Bermānus iam ante nos etiam adhortatus esset, ut libere ab eo

ab eo dissentiremus, omnino mihi tacendum putarem. Sed quia de his rebus disputare utriq; uestrum molestum non est, dic mihi Bermanne nonne paulo ante consensimus, pyriten ab Arabibus appellari Marchasitam? B E R . Ita est. A N . Si igitur ex pyrite tot metalla, quot tu dicis, ex coquuntur, quid Albertus, qui de metallis omnium diligentissime scripsisse fertur, sensit: qui omnis generis metalli pyriten, siue ut ipse appellat Marchasitam, in igne per fumum exhalare scribit: dicimus ne tam uirum haec ignorasse: qui & Germanus fuit, & metalla diligenter inuisit. B E R . Sæpe miratus sum, quomodo Albertus, qui, ut temporibus illis, uir doctus fuit, in eam opinionem inciderit, ut negaret metalla è Marchasita confari. Pyrites sine dubio Arabibus Marchasita est. Nam omnia quæ apud Græcos de pyrite scribuntur, Arabes sub Marchasitæ nomine in suam linguam transtulerunt, iam è pyrite æs excoqui apertissime Dioscorides scribit, & Serapio Arabs, qd tu nobis ante in memoriam redigebas, in Marchasita repetit, & nos id ipsum uideamus

mus cum in plerisq; alijs officinis metalli-
cis, tum Cuperbergi in Silesia, ubi ex eo,
dem Chalcanthum etiā cōficitur. Quod
si Albertus obseruasset, uel Serapionem
legisset, nūquam in eum errorem incidi-
set. A N . Credo. Auicenna certe, qui Ga-
leni copiosissimos libros in compēdium
quoddam suis Arabibus redigere cona-
tus est, tecū sentit, Marchasitam auri, ar-
genti, æris, & ferri esse tradens. B E R . Ita
ne Arabs ille sentit? A N . Ita planè. B E R .
Plura ergo de pyrite q̄z Plinius nouit.
N A E . Plura etiam quām Græci ipsi, ab-
sit uerbo inuidia. B E R . Huius igitur sen-
tētiā si Albertus noster aduertisset, aut
tam diligenter metalla apud quæ se uersa-
tum fuisse scribit, inspexisset, quām facile
Chymistis aures accommodauit, nūquā
lapsus fuisset. A N . Et mihi uidetur erras-
se Albertus. B E R . At idem istis nō uide-
bitur. A N . Quibus? N A E . Non intelli-
gis: philosophos & medicos nostros no-
tat. B E R . Nō omnes, sed barbaros, & in-
ter hos malignos tantum. Nam bonos ui-
ros, quibus per iniuriam tēporis doctio-
res fieri non licuit, irridere penè impium
esse

esse iudico: doctos, etiam insanum. A N.
Multæ pyritarum genera modo recensui
sti, de ferri tamen pyrite nihil à te dictum
est, cuius meminit Auicena: reperitur ne
ipse in fodinis nostris ferrarijs. B E R . Re
peritur ferreo prorsus colore, massa autē
quasi ferrea esse apparet. Sed hic indicari
non potest. A N . Vbiq; fodinæ ferrariæ
sunt, quā ob rem facile ipsi inquiremus.
B E R . Non in omnibus reperietis ipsum.
A N . Perraro ergo inuenitur. B E R . Nō
ita frequenter ut reliqui. Sed est præterea
aliud genus ferrei quasi interdum colo
ris, Cobaltum nostri uocant, non multū
differēs à pyrite, quod alio loco uobis in
dicabitur. Vestri uero officij esse censeo
de uirib; & natura Molybdænæ & py
ritis nunc dicere, ut nostris sermonib;
non solum metallica, sed etiā medica tra
ctemus, utq; par pari referatis. N A E . In
quum esse arbitror tibi quicquam nega
re, qui te nobis tam facilē exhibuisti. Sed
uereor Bermanne ne uerissime actū age
re dicamur, qui post Dioscoridem & Ga
lenum, quorum uterq; iam etiam Latine
legitur, aliquid de medicamentorum uiri
bus

bus dicere, nisi quid noui dicamus, uideri uelimus. Idem de uniuersis quæ in medicina tractantur iudico. Nam si Oribasius ἐπ ταῖς συναρχοῖς ῥάτινοῖς, quas duobus & septuaginta libris absoluit, quasq; rursum septem in ἐπιλογῷ redegit, non multa è scriptis ueterum medicorum Ruphi Mnesithei, Antyli, Soriani, & aliorū qui perierunt collegisset, & ea solum quæ es- sent apud Dioscoridem & Galenum scriberet, non nisi magno quodam tedio le- geretur. Verum sit huius labor utilis, sit Pauli Aeginetæ, qui amplissima illius uo- lumina & ipse in compendium quoddā, ut ingenue fatetur, coēgit: Aetium certe & Psellum quibus idem studium fuit, nō sine summa molestia legimus in his locis in quibus nobis eadem penè ad uerbū è dictis autoribus recitant. Mitto hic Alex- andrum, Aretium, Actuariū, Moschionem, & reliquos. B E R . At forte in istis nonnulla sunt à ueteribus non scripta. N A E . Sunt pauca quædam, atque ob ea ipsa tolerantur. Iam ad Anconis nostri Arabes, quibus idem animus, qui iuniori bus Græcis fuit, ueniamus. Quos si cogi-
tas

tas Arabibus scripsisse, laudabis uitios,
qui nationem suam doctissimis Græco-
rum inuentis carere noluerunt; si inepte
in latinam linguam uersos legi, dolebis
nos consectari riuulos, & rerū fontes nō
uidere. Deinde molestum erit eadem to-
ties tibi occini, postremo barbariei mul-
tum indignaberis. Rasis enim, sentiet me
cum qui utruncq; legit, ipsis Arabibus id
est, quod Græcis Oribasius, cuius ita stu-
diosus fuit, ut utrancq; illius inscriptionē
suis etiam libris indiderit. Auicenna alter
quasi Paulus est, quamuis eo longe & co-
piosior sit & plura tractet. Serapio Dio-
scorides qua parte simplices medicinas
explicat. Reliquos consulto nunc præte-
reo. A N. Nostrorū labor alio etiā nomi-
ne, præterç quod suis scripserūt, cōmen-
dādus est. B E R. Quo; A N. Quod medi-
cinā multū auxerunt. N A E. Quāmmul-
tū: A N. Eorū opera & industria in usum
medicinæ uenerūt Muscus, Ambra, Cā-
phora, Cariophyllum, Cassia fistula, My-
rabolani, Tamarindi, Senæ, nux Indica,
nux uomica, Zedoaria & quædā alia, qui
bus hodie frequēter & non infeliciter uti
mūr.

mur. Nonnulla etiā exactius quām Græci tractarūt. N A E . Ea omnia tanta sunt, ut ipsa non magnus liber caperet . Quæ ut quis colligat ē re eorum, qui medicinæ studia consequantur , esse puto . Quod tu Ancon facile facere posses, qui in Arabū libris diligenter uersatus es, & latīna præterea calles. A N . Ego uero non sum cupidus istiusmodi laudis , quæ multo maximis calumnijs quærenda est. B E R . Colligas non ut edas, sed ut amicis communices. A N . Considerabo quid faciendū sit. N A E . Ad latinos trāseo, inter quos Cornelius Celsus Hippocratem ferè transfluit. Plinius autem Dioscoridem, quamuis ipse dissimulauerit , & Colenucius fortiter néget. E iunioribus autē Nicolus florentinus idem conatus est efficere, quod apud Græcos Oribasius , apud Arābes Rasis . Hunc immensa scriptorum turba consequuta est, quorū pars infinitis quæstionib[us] dialecticis medicinā nobis ualde implicatam & obscurā reddidit . Pars quomodo ipsa exercenda sit barbare & inepte tradidit, in quibus quod molestissimum est, eadem sexcenties repetita inuenies.

nies. Post quos omnes qui se putat de me-
dicina aliquid dicere uel scribere , nisi qd
noui afferat, nonne ineptus erit & mole-
stus? A N . Ita est, sed equidem uellem ali-
quem esse, qui rem medicā optima queq;
è quibusq; excependo, latinis literis illu-
straret , ne semper nobis Græcæ linguæ
ignaris in istis uersandum esset, qui mihi
cum arti ipsi percipiendæ, tum latino ser-
moni multum officere uidentur. Longe
autem magis è re studiosorū esset te Ne-
uium hæc ipsa facere , quam me ex Ara-
bibus quædam colligere. N A E . Tantam
eruditionem mihi non esse uideo, que ad
hanc rem pro dignitate tractandam suffi-
ciat . Sunt optimæ spei iuuenes , qui hoc
præstare poterunt, inter quos primas tri-
buierim Ioanni Clementi Anglo, quē ne-
scias an Græcia an Latiū rectius sibi uin-
dicet, ita est utriusq; linguæ & medicinæ
peritus, prudens præterea & integer. Se-
cundas Petro Brissoto Gallo, qui quantū
in medicina possit nuper unico illo libel-
lo, quo tractat utrius uena brachij in pleu-
ritide incidenda sit, declarauit , quamuis
hoc idē Matthæus Curtius acerrimi vir-
e iudicij,

iudicij, et Galeni studiofissimus ante mil-
tos annos Papiae, & ab hinc quinquenio
Patauij fecerit. Sunt alij multi iuuenes me-
dicinæ studiosi, & Græce ac Latine do-
cti, partim nobis uisi, partim sola nomi-
nis fama cogniti, quos omnes nunc recen-
sere nimis longum esset, nec dubito inter
eos unum aliquem futurum, qui præcla-
rum illud opus & utile aggrediat. Si ue-
ro maturioris etatis uiros, qui hoc faciat,
uelis, sunt in Gallia Copus Basiliensis, &
Ioannes Ruellius, alter Galeni, alter Dio-
scoridis interpretatione nobilis. In Italia
Ioannes Manardus, qui doctissimas epi-
stolas in hac arte nuper edidit, & alia que-
dam nondum edita scripsit. Et Baptista
Opizo, cuius uiiri prudentiam & uitæ in-
tegritatem, an insignem utriusq; linguæ
eruditionem, ac summam in medendo feli-
citatem magis admireris dubites. Magni
nominis uel nunc est apud Venetos, ma-
ximi futurus, si se à morbis curandis quā-
tum posset, non abstraheret, ut bona stu-
dia promoueat. Nam huius potissimum
opera, & Anglorum quorundam, maxi-
ma Galeni pars in chartis impressa legit.

Leonice,

Leonicenus autem & Linacer, qui ante paucos annos obierunt, nisi studia medicinæ interpretando Galenum iuuare maluerissent, utriq; illud idem efficiendi non tam facultas quam uoluntas defuisse uidetur. A N. Utinam id ipsum aliquando fieret, tum enim paucis latinis contenti, medicinam sic disceremus, ut eam augere studio plura quotidie inueniendi, non corrumpere ineptis quæstionibus, quod nunc ferè fit, anniteremur. Si uero aliquē Græcorum scripta delectarēt, ut nō possunt nō delectare, is si Græce sciret, ipsos in sua lingua; si nesciret, optimas quascq; translationes legeret. Quod si Arabes etiam placerent, remitteremus ipsum uel in Arabiam. B E R . Tunc mihi quoq; mediorum decreta percurrere liberet, nūc uero quoties in istos incido, toties mihi nauicam mouent, nec ultra pergere possum. Verū tu interea nobis summatim uires cum molybdænæ, tum pyritis explicas. Nam quo sèpius eadem aut audieris, aut legeris, modo in tempore & latine dicantur, eo firmius hærebunt in memoria. N A E . Quia ita uis dicā, sed paucissimis,

multis enim neq; deceat, neq; libet. Molybdæna itaq; uires Lythargyro, quod medicea tēperationis est, similes, ut Galenus scribit, habet. Ab ipso tamen parum ad frigidum inclinat, neq; ullas abstergendi uires habet, quinetiam densarum magis partium est. Quod si ex eo emplastrū adiecto oleo & aqua confeceris, multo erit utilius, quam si acceperis in id Lythargyrum, his præfertim qui molli sunt carne, quales sunt pueri, mulieres, uiri etiā candida admodum cute, quorum plures in frigidis regionibus inueniuntur. Prohibemus igitur iam dicto emplastro, ne quid inflammati & ulceratis particulis influat, aut si qd influxerit, id ipsum in loca quæ in circuitu sunt reprimimus. Hæc de molybdæna nunc sufficient. B E R . De pyrite quid habes? N A E . Ipse insignem dagerēdi uim habere traditur, quamobrem eius generis emplastris, quæ discutiendi facultatem habet, utiliter miscetur. Quo modo uero præparādus sit antequām in emplastrū iniiciatur tam Galenus & Di scoridis diligētissime scripserūt. Quos si legeris, mea non multum, quod ad uires harum

harum rerū pertinet desiderabis. B E R .

A N . Ancon quid Arabes de his scribūt dicet.

A N . De molybdēna apud Arabes, quod
& ante dixi, nihil esse scio. De pyrite autē
eadem ferē, quæ Græci scribunt. Magi-
cum tamen quiddā adīciunt, quod si au-
dire uobis collibitum fuerit, dicā. B E R .

Dicas rogo. A N . Infans qui collo appen-
sum pyriten gestat, lemures & lamias nō
timet, sed tu modo perge ad reliqua.

B E R . Sedete primum. A N . Fiat. B E R .

Argenti rudis genera apud nos multa
sunt, nec ea omnia ueteribus forte cogni-
ta, quorum alterum ab altero colore po-
tissimum discerni potest. N A E . Quid ar-
gentum rude appellas? apud fabros argē-
tariorū aut certe monetales, argentum iu-
xta Varronem nondum flatum signa-
tumq̄ ita diceretur. B E R . Scio, sed per-
mitte mihi, ut nūc sic nominem id quod
argentum quidem est, sed colore adhuc
differt. Et ad hoc, ut argenti colorem, qui
albicans, ut nostis, est, acquirat, excoctio-
ne indiget. N A E . Nos hæc nouitas mini-
me offendit, & facile tibi permittimus, ut
post hac sic loquaris. Vide modo, ut alij

e 3 id

id tibi permittant. B E R . Nominent ipsi ut uelint , modo inter nos de re ipsa constet . Argenti igitur rudis genera colores distinguunt puniceus, plumbeus, niger, purpureus,cineraceus,ruffus. Atque hic primo licet uobis cernere puniceum.

N A E . Apparet carbunculi aliquod genus esse. B E R . Omnino, nisi quod color rem in oculos ut carbunculus non uibrat. Inuenitur autem id ipsum uarijs modis. Modo enim ex nigrore quodam quasi relucet,modo saxi aliquod genus eius ueluti scintillæ quedam amplectuntur,modo solidæ ipsius massæ ad saxa adhærescunt. Est uero id interdum simplex, interdū altera sui parte quæ prominet in mucrone quasi turbinatum, altera materiā aliquā, quam uena simul continet complectens; atq; ita iam quadratum in modum tessellæ esse solet, iam sexangulū ut Adamas, frequenter plures & inæquales angulos, ut Iris aliquando habet. Præterea idē admiranda quadam pulchritudine ceruleo conspersum cōspicere licet, uideturq; mihi natura ipsa tantis operibus perficiendis quasi defessa, iucundissimis picturæ floribus

ribus se recreasse. Atq; haud scio an ars
summo etiam conatu eam pulchritudinē
assequi possit. Hic autem aliqua eius ge-
nera uidetis, alia alijs locis uidenda erūt.
N A E . Cognouerunt ne hoc argenti ge-
nus ueteres? B E R . Non, quod ego scio,
nisi Theophrastus de lapidibus eius mē-
tionem fecisse uideri possit, cum de his lo-
quitur qui aurum & argentum in se con-
tinēt, è fodinis metallicis effossi, his ipsis
uerbis: Gemma alia est colore prunis assi-
milis. A N . Quantum hinc decedit dum
excoquitur? B E R . Parum admodum, ut
etiam plumbi coloris syncero & solido.
Apparent enim uapores calidi & sicci, si
mul è terræ profunditate expirantes, eos
halitus è quibus argentum constitit, hoc
modo uarijs coloribus pro sua uarietate
tinxisse. A N . Tecum, ni fallor, sentiret
Aristoteles, sed est ne aliquis eius usus,
præterquam quod argentum ex eo exco-
quitur? B E R . In picturis. Siquidem no-
bilis color ex eo conficitur, minio quod
ueteribus tantopere celebratur, non infe-
rior sandaracē uero etiā superior. N A E .
Haberet forte & in medicinis locum?

B E R . Quis negaret cum nemo adhuc expertus sit? Sed ad alterum genus transfeo, quod plūbeo colore esse dixi, quodq; hic uidetis. N A E . Galenam planè refert. A N . Imò Galena ipsa est. B E R . Nō est. A N . Mihi quidem ita uidetur. B E R . Si mile admodum est fateor , nō tamen idē. Age canes lupis interdum similes sunt. A N . Recte. B E R . Nunquid etiam eosdē dicemus? A N . Minime. B E R , Napi eti am rapis similes. A N . Sunt quidem ob longis & gracilibus. B E R . At quis eadē esse diceret? A N . Nemo opinor, nisi im peritus aliquis medicus . Nam hortulanī & rustici ipsi primo statim aspectu discer nunt. B E R . Ita nec hoc genus argenti quia simile sit colore, idem cum plumbagine esse recte dicere possumus. N A E . Est ut dicis, non enim si qd cui simile est, idem planè esse necesse est. A N . Qui igitur distinguitur à plūbagine? B E R . Suas quasdam notas habet, quæ interdum per difficulter, internoscantur tamen, sed profecto non nisi à uiro in harum rerum cognitione ualde exercitato. A N . Notas igitur quibus alterum ab altero sciungit dicas

dicas rogo. B E R . Dicam, ut colore mul-
tum inter se, quemadmodum uides, cōue-
niunt, ita reliquis omnibus quām maxi-
me differunt. Galena friabilis est, & cul-
tro incisa dissilit. Hoc argenti genus non
ita teri potest, & cultro scinditur perinde
ac plumbeum, atq; dentibus compressum
in massam cedit, quod Galenæ contingē-
re non solet. A N . Bene distinguis, nunc
planè diuersum quiddā à Galena esse co-
gnosco. B E R . Inuenitur & hoc uaria ra-
tione. Interdū enim massæ miræ magni-
tudinis in cannalibus uenarum, tanquam
in nido quodam reperiuntur. Interdū ut
gemmae ex arboribus pullulascunt, ita ip-
sum admiranda rotunditate ad saxa adhę-
rescit, & in ipsis continetur. Præterea in
modum uirgularum ex crescit, ac uarias
quasdā figuræ mentitur. Vidi mus apud
Bartholomæum Bacchum è fodina, cui
Constantino nomen esse ante diximus,
effossum, quod planè referebat ligonem
& malleum, quæ instrumenta metallica
sunt. Crederes apud Fabrum argentariū
ita conflata. Sic natura lusus suos exerce-
re uidetur, nisi quis istiusmodi fortuito

fieri malit. Demum eiusdem tenuissimæ
bracteæ saxi aliquod genus amplectun-
tur. N A E . Hoc genus ueteribus, opinor,
incognitum fuit. B E R . Idem ego sentio.
Sed ut institutum ordinem persequar, ter-
tium iam inspicite genus, quod nigrum
est. N A E . Quid è nigrore ita relucet?
B E R . Illud ipsum genus est, quod modo
Galenam referre, plumbeo & colore esse
dixi. Pari ratione punicei etiam scintillas
& sua natura candicantis in se continere
solet. Atq; quo magis his ipsis abundat,
tanto plus argenti, dum in fornacibus ex-
coquitur, reddere solet. Purpureum autē
quod & ipsum argenti nō parum habet,
in mōtis Turcici fodina, cui à Schonber-
gio quodam nobili nomen inditum, con-
spicere liceret. N A E . Ne hæc quidē Pli-
nius cognouisse mihi uidetur. B E R . Re-
cte dicis. Idem tamen cineraceum & ruf-
sum nouit, qd his uerbis aperte indicat:
Terra est alia ruffa, alia cineracea. Cinera-
ceo certo, qd hic uidetis suus honor est.
Nam persæpe argento diues est, maxime
cum subdurū fuerit ut cultro scindi pos-
sit. Si uero molle fuerit, & scintillæ argen-
ti plum-

ti plumbei coloris ex eo resplendent, etiā
cum abunde argētum ex eo excoquitur:
quod si eiuscmodi nō adsint, minus. Re
stat ruffum, quod uel ipsum, quanto plus
ē prioribus argenti generibus in se conti
net, tanto argenti maior ex eo copia fit.
Sed illud uidere nunc non possumus.

N A E . Videbimus suo tempore & loco,
Plinij potissimū gratia, qui nō nisi ē duo/
bus his terrarum generibus, & Galena ar
gentū excoqui posse nouit, aut certe me
moriæ, si ex alijs fieri nouit, non tradidit.

B E R . Sentis idem quod ego. Sed anteque
ex hoc domicilio egrediamur, genus quod/
dam præterea uobis ostendam, quod me
tallorum in numero est, sed ueteribus, ut
mihi uidetur, incognitum. Bisemutū no
stri appellant. N A E . Plura igitur quām
hæc peruulgata & nota septē tua senten
tia metallorum genera erunt. B E R .

Plura arbitror, nam hoc quod modo Bise
mutum nostros appellare dixi, neque recte
plumbum candidum, neque nigrum dice
re potes, sed ab utroque distat, & tertium
quiddam est. Siquidem, ut cætera quibus
ab his ipsis differt taceam, plumbum can
didum

Zinc

didum eo candidius , nigrum obscurius,
ut uidetis, est. N A E . Videmus quidem
ipsum Galenæ etiā colore simile. B E R .
Ita apparet. A N . Quomodo uero Bis-
mutum, ita enim appellare tu uidebare, à
Galena discerni potest. B E R . Facile, cū
id ipsum manibus tractaueris, eas nigro-
re quodam, nisi planè solidum fuerit, insi-
cit. Solidum uero friabile ut Galena non
est, sed scinditur. Nigrius autem aliquan-
to est argenti rudis genere, quod plumbi
ferè colore esse diximus, atq; ita ab utro-
que seiungitur. Continet uero in se nō ra-
ro aliquid argenti. Quo etiam loco effo-
ditur, argentum plerunq; subesse signifi-
cat, & ob id metallici nostri tectum argē-
ti ipsum dicere cōsueuerunt. Torrere idē
solent, atq; ex eius potiori parte metallū,
è uiliori cerulei quoddam genus non cō-
temnendum conficiunt. N A E . Possunt
ne ex hoc genere metalli, ut ex utroq; plū
bo uasa conflare; B E R . Possunt, nam ali-
qua plumbi portione adiecta , pocula ex
eo fiunt haudquaquā ingrata. A N . Equi-
dem nec apud Arabes , qui aliquot secu-
lis Chymicen Græcos imitati præ cæte-
ris

ris diligenter tractarunt, mentionem ullam huius metalli factam scio. Quare in paucis regionibus ipsum reperiri & mihi persuadeo. B E R . Si Chymistę eius nō meminerunt, neque inter corpora quæ apud eos sex sunt, neq; inter spiritus siue animos, quos & ipsos innumerato habet maxime Græci & Arabes, desperarem apud uetustiores tum philosophos, tum medicos reperiri. Sed iam uidistis argēti materiam quæ in hoc domicilio est.

N A E . Quantum argenti ex ea excoqui tur? B E R . Certo scire non possum, conjectura tamen quadam dicam, ultra duo milia pondo. N A E . Thesaurus est. Vestrī felicius ἀγρυπωτοῖς αὐτοῖς exercent, quām indocti isti & inepti Chymistę. A N . Nec mirū est eos nihil efficere, qui quām longissime à scopo, qui ab Arabibus præscriptus est, aberrant. B E R . Neq; Græcorū uestigia consecrant, sed nugis quibusdā & deceptionibus iuniorum credunt, qui artem penitus depruarūt. N A E . Chymicen relinquamus, ne uestri audientes nos rideant. Nostis enim ipsam ualde irriteri & suspectam esse. Non exiges hic à nobis

nobis ut aliquid de usu in medicinis, harum rerum quas nobis indicasti, dicamus. Nam ueteribus, ut ipse nosti, incognitæ magna ex parte fuerūt. Quamobrem surgendum nobis est, & aliò eundū ubi plura uidere poterimus. B E R. Eamus ad proximam fodinam, quæ caput harū dimensionum est. N A E. Dimensionem dimensum dicere mihi uideris, id est modum siue mensuram fodinæ. B E R. Re cte sicut Cicero uisum, uisionem etiā dixit, & pleraq; alia inueniuntur, quibus sic utimur. N A E. Primo ne quæ in tumulo circum casam egesto sunt conspicemus. B E R. Ea alibi uideri poterunt atq; etiam commodius & melius. Sed ingrediamur in præsidis huius fodinæ domicilium. A N. Mihi placet, si Næuio nō displicet. N A E. Minime. Bone deus quam multi hic quoq; aluei & situli sunt argenti materia referti, quod genus hoc est qd argenti colorem habet. B E R. Argentū est. N A E. Quid hic agitur argento excocto, ubi nec fabri argentarij sunt, necq; officinæ, opinor, monetæ cudendæ? B E R. Excoctum non est, sed sic planè ut in

in uena sua concreuit. Vidésne hac parte
montis quippiam adhuc adhærescere?

N A E . Vídeo. A N . Quàm multa uidēt
in aliquo genere exercitati, quæ rudibus
& inexpertis penitus recondita esse so-
lent. Nā non modo Næuius, sed ego etiā
non aliud quàm argentum excoctum id
esse putassem, nisi tu clare, ut soles. osten-
dissest saxi, à quo abruptū est, aliquid ipsi
adhærere. N A E . Bermanno , his uisis,
non possumus non credere, sed Plinius
prorsus ignorauit argentum , quod sine
opificio fornacum suum est reperiri , id
quod hæc uerba satis declarant. Non nisi
in puteis reperitur , nullacq; sui spe nasci-
tur, nullis, ut in auro , lucentibus scintil-
lis. Terra est alia ruffa, alia cineracea. Cer-
te si fodinas nostras inspexisset, nunquā
illum hæc ipsa scripturum fuisse arbitror.

B E R M A N N U S . Quid scintillas argēti negat in ue-
nis inueniri? cum non modo tantæ, quā-
tas nunc cernitis, massæ ex hoc puteo ef-
fossæ fuerint, sed quæ plus quàm duo ta-
lenta, quod permulti uiderunt, penderēt.

N A E . Nunc intelligo Plinium , uirum
alioqui diligentem & doctū, multa igno-
rasse,

rasse, in rebus præsertim metallicis, & ea
solum quæ uel apud Græcos legerat, in
latinam linguā transtulisse, uel quæ apud
Hispanos in metallis esse sciuerat, scripsis
se. Iam apud Græcos scriptores nusquā,
quod ego scio, legitur argentum purum
è fodinī effossum, nec apud Hispanos
idem fuisse ex Pliniū scriptis, satis liquet.

B E R . Credo, nec etiā in omnibus Ger-
maniæ fodinī reperitur, sed circa Boëmi-
am modo, ut hic in Sudetis montibus &
olim Snebergi, ubi è fodina quæ Georgi-
us appellatur, tanta eius copia, quanta ex
alia nulla in Germania unquam effossa
fuit. Siquidem aliquando, ut accepimus,
tanta massa deiecta est, ut Albertus Saxo-
niæ princeps, qui præ cæteris Germaniæ
principibus hominum memoria tum ad-
mirabili quadam belli gerēdi laude, tum
diuitijs plurimum floruit, quiq; Georgij
qui nunc rem prudentissime administrat
pater fuit, cum ipsius uisendi gratia in eā
fodinam inscendisset, curauerit sibi cibū
& potum deferri: atq; ipsa pro mensa cū
suis usus ita locutus esse fertur. Frideri-
cus imperator potens & diues est, eius-
modi

modi tamē mensam hodie nō habet. Hęc
Albertus tum magna admiratione tantæ
molis commotus. Me uero cum in sum-
mam quandam id argenti quod effossum
fuit, colligi Snebergi audirem, longe ma-
ior admiratio cœpit. N A E . Inaudita mul-
tis narras, sed quot pōdo hęc massa pen-
deret? B E R . Decem paulo amplius opī-
nor. N A E . Grauis est. B E R . Huius ge-
neris argenti quod sui coloris est, uniciā,
si drachmam medium remiseris, fabri ar-
gentarij pro argento excocto emūt. Que
idcirco condonari solet, quia saxi à quo
decussum est, pars aliqua, quod modo ui-
distis, ad ipsum ferè adhærescit. Præterea
scintillæ etiam argenti puri, saxi aliquod
genus amplectentes, quales hic cernitis,
crebro cōtra Plinij sententiam inueniu-
tur. N A E . Evidem nunc Germaniam
cæteris regionibus omnibus & præstan-
tius argētum habere, & ipso magis abun-
dare pronunciare ausim. B E R . Mecum
planè sentis. Atqz idem argētum purum
iam in modum uirgularum, iam capillo-
rum ex crescit. Sic nonnunquam globum
quendam, è minimis huius quasi filis cō-
f

nexus,

nexus, candidissimum inuenies, interdū
subrubrum. Demum hoc genus argenti
admirādo naturæ artificio alicuius inter-
dum instrumenti, aut arboris figuram re-
ferre uidetur, id quod nos non sine sum-
ma animi delectatione uidimus. N A E.
Nō possunt nō delectare illa naturæ ope-
ra uirum philosophiæ studijs deditū, qua-
lem te esse dudum ex his nostris sermoni-
bus animaduerti. Sed age uidī nūc ut au-
rum purū, de quo Plinius & Strabo scri-
pserūt, quodq; nuper quidam à Cottene-
heida allatum mihi ostendit, ita & argen-
tum sine fornacum opificio inueniri. Cu-
pio ex te scire an alia metalla quoque ita
perfecta in suis uenis reperiantur. B E R.
Aes non modo in ærarijs metallis, sed ar-
gentarijs etiam. A N. Si bene memini Al-
bertus sic effossum, ut cum substantia la-
pidis mixtum non esset se uidisse negat.
B E R. At uos non negabitis. N A E.
Quām uellem ipsum uidere. A N. Et ego
B E R. Si uultis referamus pedem atq; ad
Apollinem, quæ decima huius uenæ di-
mensio est, accedamus. N A E. Eamus, tu
interea nobis dicas rogo quid paulo ante
uenæ

uenæ extensionem & exitum, atq; fibras
appellabas. B E R . Volo quidem uobis
dicere quid metallici ita nominare solēt,
sed uerbis nouis ut utar necesse est, quod
ista ueteribus satis explicata aut nō sint,
aut si maxime sint, nō extent. N A E . His
tuo modo utaris, nihil nos offendent, res
enim ipsas cognoscere percupimus.

B E R . Quælibet uena per saxa montis in
longum extenditur, quod uenæ extensio
nem nostros imitatus appello. Venarum
igitur omnium, quantum in extensione,
longe est optima quæ ab oriente in occi
dentem extenditur per montis declive,
ita tamen ut dorsum montis uersus meri
diem sit, declive uero ipsius in septentrion
em sensim inclinet. Proxima uero bo
nitate est, quæ à media aliqua orientis &
meridiei parte, in mediam rursus occidē
tis & septentrionis extenditur, atq; eius
modi est huius uenæ, quam Stellam uo
cari dixi. Reliquæ autem quanto plus à
dictis illis recesserint, tanto minus argen
ti feraces esse solent. N A E . Intelligo ut
cunque quid uenæ extensionem dicas,
quodq; loci situs non parum ad genera
tionē

tionem metallorum conferat. Quid uero
exitus ipsius uenæ sit, scire etiam cupio.
B E R . Suum quæcūq; uena pendens & ia-
cens habet, utar post hac pace uestra his
uerbis: Iacens est in quod uena ueluti re-
cubit. Pendens uero, quod uelut tegmen-
tum uenæ sursum incumbit. Venæ itaq;
exitus semper ex iacente ipsius iudican-
dus erit. Verbi gratia: Iacēs uenæ uersus
septentrionem est, totius item uenæ exi-
tus uersus septentrionem erit. Sed ista sat
scio difficultia nunc uobis uidetur, quibus
si assueti fueritis, erunt facillima: N A E .
Mihi certe multum implicata esse appa-
rent. Sed quas fibras dicis. B E R . Dicam
et hoc quod melius uos intelligetis, quos
humani corporis sectionem persæpe ui-
disse credo. Ut animantis corpus uenas
quasdam habet magnas, à quibus uenu-
læ, perinde ac è truncō arboris rami ex-
crescunt, diriuari solent. Sic uenæ metalli-
cæ suas etiam habent, siue uenulas, siue fi-
bras appellare uelis, atque eas diuersas.
Aliæ enim trāfueræ sunt, aliæ obliquæ,
aliæ paulatim se uenis ipsis iungunt, aliæ
eisdem incumbunt. Sed iam ad Apollinis
casam

casam peruenimus. A N . Ingrediamur.
B E R . Vide nunc æs, quod sine excoctio-
ne tale est. N A E . Vbiſ' B E R . Accede
propius, & ad me inspice. N A E . Virgu-
læ studio & arte inter se implicatae uiden-
tur, certe nisi saxi pars adhaereret uix cre-
derem ita ē uena ereptū. B E R . Cernas
etiam ut laminæ eius tenuissimæ saxi ge-
nus quoddam amplectuntur. N A E . Vi-
deo eadem ratione qua auri & argenti.
A N . Valeat Albertus isto etiam loco.
B E R . Sic quoq; argentum uiuum sui co-
loris sine excoctione inuenies, aliquando
intra metalla in lacubus, in quos ē fibris
destillauit. Aliquando in gramine simul
cum uaporibus ē terra elatum, quod Pli-
nius cognouisse uidetur cum scribit: Est
& lapis in ijs uenis, cuius uomica liquo-
ris æterni, argentum uiuum appellatur.
Solet idem id quod natura sua ui & spon-
te produxit, argentum uiuum, quod ars
ē minio siue uena minij confecit hydrar-
gyrum nominare. N A E . Noui atq; ob
id à Leoniceno uiro doctissimo iure re-
prehēditur. Nam tam natuum quam fa-
ctitum Græci ὑδραγγυζομ, latini argentū
f 3 uiuum

uiuum appellant. B E R . Tu audes ista lo-
quis non times Collenuciū. N A E . Neq;
is ausus fuit hac parte Plinium , quem in
multis alijs acerrime conatus est, defende-
re. Sed profecto nobis omnibus Collenu-
cius aliquis timēdus est , qui cōsensimus
Pliniū multa in metallis ignorasse. B E R .
Pugnet aliquis quantū uelit, ueritas ipsa,
quæ potior Plinio est, nos defendet . Sed
ferri quoq; massæ puri & grana quedam
parua, quod Albertus nouit reperiri cer-
tum est. Cæterum hæc tria aurum, argen-
tum , æs , præterquam quod statim sua
sunt, è diuersa materia excoquuntur. Plū-
bum autem nigrum , quod Græci μόλυβδον
uocant è sola Galena, ut candidum
quod ijdē καστιγον è nigris lapillis pau-
lum candore, ut Plinius ait, uariatis, con-
flari nouimus . At pura in uenis inueniri
nūquam neq; uidimus , necq; audiuimus.
N A E . Quod tu modo plumbum, hodie
tam docti quam indocili stannum appelle-
lant. B E R . Quam latine & proprie uide-
rint ipsi , mihi certe stannū aliud quiddā
esse uidetur. N A E . Tua Pliniū sententia
firmare posses. B E R . Aliorum etiā, qui
me cum

mecum faciunt. Sed de his aliàs plura dicemus. Lapilli autem nigrì è quibus plurimum album conficitur, insignis magnitudinis Aldenbergi & Irberesdorfi, quod non longe Næui à patria tua situm est, reperiuntur quos te credo uidisse. N A E . Memini me uidere. B E R . Quemadmodum uero in dictis locis maximi, quos cōspicere mihi licuit reperiūtur, sic alibi non nunquam ita parui ut harena esse apparet. Sunt uero in mixtura quæ hoc modo se habere solet. Pyrites & saxi genus quoddā arenosum simul cum lapillis nigris ita plerunq; cōmixta sunt, ut quodq; genus uisu statim distinguere possis, licet interdum multum inter se confusa uidentur. Quam mixturam ut lapillos nigros separent, torrent, tundunt, molunt, lauāt, urunt, atq; uix tandem ex ipsis plumbū candidum excoquunt, & certe, si quod aliud, hoc metallum multa præparatione indiget. N A E . Eiusmodi omnia cum mihi ad patriam proxime accedere licebit, diligentius quam hactenus considerabo. A N . Breui iter per Irberesdorfum faciā, utinam tunc aliquis mihi cōtingeret, qui

ipsa ostendere posset. B E R . Per multū
possunt. Sed ut latine res ipsæ dicātur uo-
bis considerandum erit. A N . Eas primo
qua potero diligentia inquiram , deinde
cum ad te rediero de nominib[us] disputa-
bimus. Ceterum quia iam dixisti aurum,
argentum, æs, ferrum, præterquam quod
sui coloris & pura in uenis reperiantur, è
diuersa materia excoqui posse, ipsam, etsi
hic indicare non possis , recenseas rogo.
Proderit enim non parum, cum olim eo-
rum metalla inuisemus, hæc ipsa ex te au-
diuisse, B E R . Non aggrediar ad ea quæ
hic nō reperiuntur, ut latius uagando ne-
errem. Nam nostra uix mihi satis cogni-
ta & perspecta sunt, A N . Ambo te , ne
grauate in ista re meæ morem geras uo-
luntati, noui enim hæc tibi minime es-
se ignota, B E R . Si ita tibi uidetur dicam
aliqua. Auri puri massas, quas palacas Hi-
spani dicunt, reperiiri cum in fluminibus,
tum in ipsis puteis Strabo & Plinius, qd
uobis ignotum nō est, asserunt. Eiusdem
scintillæ quasi ad saxi quoddā genus can-
didissimum, quarzum nostri uocant, ad-
hærescit, id Cotteneheidæ foditur , quod
te Næ/

te Nævium uidisse audio. Præterea è pyrite quem Galenæ colore assimilem diximus, & cineraceo, ut ante quoq; audiuitis, conficitur cum in alijs nostræ Germaniæ locis, tum maxime Reichësteini. Postremo terræ genus est purpureum ita vapore & halitu simul temperatum & afferatum, ut fœcundum auris sit & facile cognosci possit, ex quo in camino aurum excoquitur. Sed è Chrysocolla quoq; & Ceruleo fit. Aes autem purum reperitur & tenuissimæ ipsius laminæ saxa, ut uidistis, amplectuntur: sed fit è pyrite Gairi, Cuperbergi, & in alijs locis, è lapidis scissilis quodā genere Eislebij & uicinis opidis. Præterea è terræ generibus luteis & purpureis chrysocolla & ceruleo perinde ac aurum conflatur. Ferri puri massæ & granula quasi quædam, ut dixi, periuntur. Deinde è terra rubra ferrugine quadam infecta & nonnullis lapidum generibus conficitur. In eadem ferri uena non raro Magnetem inueniunt, qui etiam non longe hinc Eibenstoci & Sauerbergi, quæ sub ditione ducum Saxoniæ sunt, effoditur. Hæc generatim dice-

re queo, reliqua ab his si videbitur, qui
bus notiora quam mihi sunt, cum mate-
riam coram intueri licebit, quæritote.

N A E . Fiet, interea tuis contenti erimus,
tu perge si quid restat nobis ostendere.

B E R . Restant inter cætera argillarū ua-
ria genera, quæ colores ut hic videbitis
discernunt. Sunt enim candidæ, nigræ, lu-
teæ, puniceæ, purpureæ, virides, ceruleæ,
cineraceæ. N A E . Tenacitas quædā his
luteis inest, & forte sic ipsas quod similes
sint his, quibus figuli utuntur, appellas.

B E R . Recte sentis. N A E . Ex ipsis colo-
res fieri posse crediderim. B E R . Possent
sit tam humidæ non essent. Sunt uero ter-
ræ genera ipsis, quod ad colores attinet
non dissimilia, sed sola siccitate, è quibus
colores conficiuntur: quarum quæ lutea
est ἄχρι Græcis, Latinis Sil appellatur,
quæ cerulea his ceruleū, illis κύανος, quæ
uiridis utriq; genti Chrysocolla, quæ ru-
bea, sandaraca, quæ nigra melâteria, quæ
candida diuersa nomina habet, quæ par-
tim ex rei diuersitate, partim ex regioni-
bus, è quibus affertur, sumpsit. N A E . Re-
periuntur ne ipsa in fodinis nostris. B E R .

Magna

Magna ex parte ni fallor. N A E . Quo-
ties ueteres in emplastra cōñciunt Chry-
socollam, Ochram, Ceruleum, terram Le-
mniam , & rubricam Sinopida . Nam &
has in hoc genere connumerandas cen-
seo. Quod si apud nos inuenirentur, quā-
tum medicinæ restitueretur quiuis iudi-
care potest. B E R . Inueniuntur aliqua
meo iudicio, atq; adeo hanc uenam pro-
xime alia quædam , quam Paulinam no-
stri nominant, diuidit, quæ aliquanto du-
riorem materiam habet. Qua de re acce-
damus ad casam dimensionis secundq; in
ipsius enim tumulo nonnulla conspicie-
mus. N A E . Per placet nobis, modo tibi
molestum non sit. B E R . Mihi uero mo-
lestum esset de his rebus disputare cū me
dīcis, uobis præsertim, quorum tu Næui
quantum ex colloquijs nostris intellige-
re potui Græca cum Latinis pariter con-
iunxisti. An con uero philosophorū, ma-
xime Peripateticorū decreta, si quis alius
tenet. Atq; utinam plus temporis hodie
nobis daretur, contemplaremur non mo-
do metallica ipsa, prout se oculis cognos-
cenda præbent, sed eorum etiam genera-
tionem.

tionem diligentius cōsideraremus. Nam quod uos mīnime ignorare credo, magna hac parte inter plerosq; dissensio est, cū & Chymistæ aliud à philosophis sentiant, & inter se ipsi non parum discordent. A N. Ita est, sed nūc species & ipsas rerum formas intueri præstat, quibus cognitis alias cum plus ocij nobis erit id ipsum maiori cura & studio inquiremus.

N A E. Bene dicas, esset enim de hac una metallorum generatione unius diei disputationio. B E R. Ascendamus tumulum.

Hæc ochra est, siue magis placet Latinū, Sil.

N A E. Lutea prorsus est, & ob id Græci ipsam ita appellasse uident. B E R.

Hac pictores uti possent. Sed quia facticia, quæ è plumbo fit, hodie magis ipsiis in usu est: aut si qui fossili utuntur, malūt pannonica uti, quod cæteris præstare creditur, nec ita magno precio uendatur, fit ut hæc neglecta iaceat, nec ab aliquo ferè colligatur. N A E. Dioscorides Atticam genere in usu medicinæ probat. Verum quia ipsa non assertur hac nostra aut pannonica uteremur in emplastris. B E R.

Quid nī? Nam Vitruvij temporibus At-

tica

tica quæ optima fuerat, non habebatur
quod argēti fodinæ Athenis amplius nō
foderentur. N A E . Quia cum Hermolaø
Barbaro Venetorum doctissimo id quod
Græcis ῥῆπις est, Latinis Sil esse putas:
Sil Plinio limus est, hæc uero aridior est
quam ut limus dici possit. B E R . Quid
mirum: cum idem diuersa Silis genera re
censeat, inter quæ erat marmorosum, cen
ses ne ipsum quoq; limum fuisse? N A E .
Non uidetur. B E R . Nec fuit, quoniam
marmor, dicit, in eo resistit amaritudini
calcis. Theophrastus terræ genus esse
scribit, inuenitur apud nos etiā talis, sed
hic indicare uobis non possum. E pictori/
bus præterea nostris quidā uel hodie no/
mine Græco, nostrum annexentes, ap/
pellant, intelligis quid dicam. N A E . In/
telligo planè. B E R . Tu igitur desine du
bitare, & uires quibus ochra prædita est
nobis dicas. N A E . E Galeno nihil affer/
re possum. Dioscoridis uobis nota sunt,
qui ipsi uim erodendi ascribit, collectio/
nes & panos disjiciendi. Excrescētias car
nium reprimendi, cū cerato caua explen
di, & articulorum tofos comminuendi.

A N.

A N . Ego ex Arabibus nihil dicere de ox
chra possum. B E R . Ceruleum hoc est,
quod unā cum Chrysocolla lapidi scissi-
li adhæret. N A E . Harenula esse apparet.
Theophrastus profecto, cui à diuina qua-
dam ui eloquentiæ nomen inditum tradi-
tur, res bene cognouisse uidetur, cū scri-
bit: Ceruleū est natiuū quod in se Chryso-
collam continet, id quod hic prorsus cer-
nere licet. B E R . Id ipsum non postremē
bonitatis Goldebergi, quod oppidum Si-
lesia à monte auri ferace nomē obtinuit,
colligitur, ex quo etiam aurum fit. Facti-
cij uero multa admodum sunt genera, &
inter ea quædam ualde preciosa . Quorū
conficiendi rationem partim ueteres no-
runt, partim Chymistæ & ipsorum sequa-
ces inuenerunt, que omnia recensere nūc
nimis longum esset. Illud sæpe miratus
sum, qd uestri Catapotia siue pilulas, ut à
forma appellare soletis, è facticij quodam
genere, quod Chymistæ præparant, con-
ficiūt. N A E . Ego uero etiam indignor
nostris, quod ab errore nondum desistat,
quem Leonicenus, qui nostra ætate inter
medicos doctius fuit, satis declarauit. Ar-
menium

menium sumēdum esset, quod equidem
Venetijs apud unum tantum modo me-
dicamentarium uidi, quod magni æstima-
bat. De cuius purgādi ui satis scripsit Aē-
tius maxime è Nechepsote. A N . Ex A-
rabibus quidam utriq; purgandi uim as-
scripserunt. Nam sunt apud Mesuam pi-
lulæ tam è Ceruleo, quam ex Armenio.
N A E . Esto, hoc tamen Chymistarum ce-
ruleum in eas conīciendū non esset. Sed
hac de re aliās diligētius & copiosius dis-
seremus. B E R . Tu igitur nobis Cerulei
uires dicas. N A E . Discutieñdi uim ha-
bet præcipuam, quamuis nonnihil astrin-
gat. In emplastris hoc nostro uel alio quo-
dam fossili uterer, pictoribus uero factitij
genera omnia relinquere. B E R . Tecū
sentio, sed & pictores interdū fossili utun-
tur. N A E . Credo, Chrysocolla autē ipsa
satis uiret. Dioscorides primas tribuit Ar-
meniacæ, secundas Macedonicæ, tertias
Cypriæ, uerum ex his locis hodie nō ad-
uehitur. B E R . Pannonica bona est, quā-
uis & in nostris fodinis, potissimum æra-
rijs, nō contēnenda colligi possit. N A E .
Quæ in his inuenitur, eam Plinius cæter-
ris

ris præfert. Secundum locum argentariæ
certum aurariæ, postremum plumbariæ
asscribit. B E R . De factitia, cui idem no-
men Plinius & Galenus uester dederūt,
cū Dioscorides ipsam inter æruginis ge-
nera numeret, nihil nunc dicendum pu-
to, nam ea fabri aurarij utuntur. N A E .
Medici quoq; ut ibidē Galenus satis indi-
cat. Sed hæc fossilis uim discutiēdi & exe-
dendi habet, carnem etiam excrescentem
coērcet, nec tamen uehementer mordet.
A N . Arabes utranc; norunt, erosioni au-
tem dentium & dolori eorū conferre scri-
bunt. Cæterum præter ceruleum colorē,
& uiridem, tertium quiddam candidum,
scintillarū modo, ex hoc lapide relucet.
B E R . Est ut dicis, atq; id ipsum splendo-
rem forte aliquis nostros imitatus appel-
laret. Metallici uero etiam felium argen-
tum nominare solent. Argētum quidem,
quod colore argento ita simile sit, ut pue-
ros & rerum metallicarum imperitos de-
cipere possit. Feliū uero, siue à similitudi-
ne quod eorum oculi etiā noctu radiant,
siue quod cassum quiddā & inutile hoc
nomine significare uolunt. Nullus enim
eius

Eius usus est , sed ui ignis totū exhalat &
fumo consumitur . N A E . Natura certe
in int̄imis terrae recessibus se oblectare
quasi uidet pulcherrimis istis coloribus .
Nec minus ut equidem sentio , admiran-
da quād dum flores , uarie coloribus di-
stinctos pro dignit . Verum restat , ut no-
bis Sandaracam & Melanterian osten-
das . B E R . Plinius Sandaracam inueniri
in aurarijs & argentarijs metallis scribit .
N A E . Memini . B E R . Dioscorides au-
tem cinabaris colore ipsam esse tradit .
N A E . Ne hoc quidem me latet . B E R .
Iam tale quippiā & in nostris fodinis nō
rarō reperit , atq; hic opportune id ipsum
uidetis . N A E . Harenula uidetur , sulphu-
ris uero uitus , quod Dioscorides ei tri-
buit , nō olet , necq; forte inter ea quæ ignē
passa & adusta dicuntur , recte numerari
potest , quid igitur dicemus ? Theophras-
tus certe tum ipsam , tum Auripigmen-
tum calci similia uideri scriptū reliquit .
A N . Arabes gypso , fossili intelligo , auri-
pigmentum ad squamas respiciētes simi-
le dicunt . B E R . Certe nō nihil simile est ,
nisi quod gypsum eām pinguedinem nō
g habet .

habet. Sed quæ tu Næui modo dixisti fa-
ciunt, ut ipse quoq; hoc loco hæream, ne-
que quicquam affirmare ausim. Sed Pli-
niij forte Sandaraca erit, quam reperiri in
metallis aurarijs & argentarijs, ut dixi-
mus, scribit. N A E. Nec mirū esset hanc
ipsum appellare Sandaracam, quādo idē
& Vitruuius id etiam quod fit ex cerusa
in fictile coniecta, ac super carbonibus q̄
ad colorem rubrū duxerit, cremata, San-
daracam ob similitudinem coloris nomi-
nat. B E R. Id ipsum Dioscorides Sandi-
cem appellari à quibusdā scribit. N A E.
Sed Plinius Sandicem aliter fieri uult, ut
pote si adulterina hæc, quam tamen fossi
li præfert Vitruuius, Sandaraca torrea-
tur æqua parte rubrica ammixta. B E R.
Nec ego hanc, quam uobis ostendi, uires
quas Dioscorides ipsi asscribit, facile cre-
diderim habere, quare ipse de sentētia de-
sistam. N A E. Ita ne facile cedis; pugna-
turi tecū eramus, & quidē acriter. B E R.
Pugnetis licet, non repugnabo. A N. Mi-
nime uero, siquidē ferocis & plusquam
inhumani est, eum qui se supplex ad pe-
des abiecerit & manus dederit, ultra lan-
ceis

teis confodere. Satis nobis est, quod argumentis nostris de sententia deductus sis. N A E . Nō facis Bermanne id quod nostri facere solent, qui quod semel statuerint, & si quis ipsum dilucide falsum esse docuerit, non modo non repudiant, sed sicut caput & famā defendūt. B E R . At illud nemini qui bonus vir haberi & esse uelit, licere puto. Mihi uero etiā non libet, si quam maxime liceret. N A E . Ex hac tua Sandaraca color fieri posset satis gratus. B E R . Posset, sed quia ex hoc cōgressu ego saucius discedo, si adessent q Sandaracam argentum rude puniceum dicunt, prorsus profligarentur. N A E . Quid dicis? repetas rogo. B E R . Dico ut nunc uos à me dissidetis, ita nec me assentiri his qui hæc nuper asserere cœperunt, Sandaracam hoc argēti rudis genus esse, quod nos puniceū appellauimus, quod ex eo color quo pictores uti possent, non negligendus conficiatur, quod non modo credi, sed omnino dici nō potest. Nulla enim ipsi similitudo cū calce uista est, cū sit solidū & plane durū, nisi alijs generibus inspersum sit. N A E . Id genus argē

ti Sandaracam nō esse facile mihi persua-
seris. B E R . Vos diligenter inquirite nū
Sandaraca illa Dioscoridis in Germania
inueniri possit, quæ si inuenta fuerit, non
inuitus cedam, quin etiam iam cedo. Mo-
do uulcus medicorū , quod Sandaracam
gumi quoddam, ut audio, esse credit, atq;
eo ubi Sandaracam scriptum inuenerit,
utitur, resipiat, & suo errori renunciet.

N A E . Vereor ne eius generis errores
permultos in medicinis cōperias. In cau-
sa uero est, quod maxima ex parte medi-
ci nostri, bonos & doctos uiros semper
excipio, adeo indocti aut peruicaces sunt
ut malint patriam prodere, quām aliquid
quod etiam cum detrimēto inoleuit mu-
tare. Tuam uero summopere laudo mo-
destiā, & istius animi ut semper sis rogo.
Nam qui rem non satis cognitam quid-
dam esse affirmare audent, similes furio-
sis uidentur, qui dicūt aliquid quod pror-
sus non sit uideri sibi. Hoc tamen insanis
peiores iudices , quod hi quāmprimum
morbus relaxatur, & se errasse intelligūt,
& fatentur, illi fere sic sententiæ, quæ se-
mel placuit, addicti sunt, ut eā mordicus,
etiam si

etiam si aperte cognouerint falsam, tene-
ant. A N . Mittamus istos, & ad nostra re-
deamus. Arabes Sandaracam cum Arse-
nico confundunt, atq; uno nomine utrū/
que censem, solo uero colore distinguūt;
nec medici solum, sed & Chymistæ. Ap-
pellant enim Arsenicum rubeum, quod au-
ri pigmentum. Auicenna autem album
quocq; habet. B E R . Ego nunquam legi
fossile albo colore esse. Forte ad alterum
facticij genus respexit. Sunt enim duo, ut
scitis, quæ Chymistæ præparant, unum
luteum, alterum album, quæ uenena præ-
sentissima esse perhibent, ac hodie sola ar-
senici nomine appellant, N A E . In eisdē
fodinis in quibus Auripigmentum, San-
daracam nasci Dioscorides scribit. B E R .
Bene mones. Certe nuper cum ad usum
Chymeutices auripigmentum emissem,
inueni rubeas siue flammeas quasdā gle-
bas. N A E . Id erat deterius Auripigmē-
ti genus, quod pallidius esse aut Sandara-
cæ colore, atq; ex Ponto & Cappadocia
afferri idem scribit, quod ī glandium mo-
do concreuisse uidetur. B E R . Concedo,

g 5 sed

sed fortassis uera Sandaraca nonnunquam
inter eas reperiatur. N A E . Diligentius
posthac considerabimus. Sed cognoscis
ne gypsum, cuius ante mentionem feci-
stis. B E R . De fossili quæris? N A E . Pla-
nè. Nam Plinius Theophrastū imitatus
scribit: Et è terra fodit ut in Cypro , sum-
ma tellure. Parū enim terræ fossores auf-
ferunt dicit Theophrastus. B E R . Repe-
ritur ipsum. Lapis etiam specularis è quo
id fieri idem Plinius his uerbis tradit: O-
mnium autem optimum fieri compertū
est è lapide speculari , squamam uitalem
habente. N A E . Res narras apud uos in-
ueniri, quæ in medicinis & ædificijs usui
esse possunt. B E R . Reperiuntur autem
in aliquot locis, atq; etiā Albis, ubi inun-
dauerit nonnunquam ipsa secum uehit.
Gypsum uulgo uenditur, & suum nomen
apud nostros retinet. Lapidē specularē
glaciem Mariæ appellant, de quo Plini-
us his uerbis diligentissime mihi scripsis-
se uidetur: Specularis uero, quoniam &
hic lapis nomen obtinet, facilitiori multo
natura finditur in quamlibet tenues cru-
stas. Hispania hunc olim citerior tantum
dabat,

dabat, nec tota, sed intra centū milia pa-
sum circa Segobricā urbem. Iam & Cy-
pros, & Cappadocia, & Sicilia, & nuper
inuentum Āphrica: post ferēdos omnes
tamen Hispaniæ, & Cappadociæ mollis-
simis & amplissimæ magnitudinis, sed
obscuris. Sunt & in Bononiensi Italæ
parte breues, maculosi, complexu silicis
alligati, quorum tamen appareat natura
similis eis, qui in Hispania puteis effodi-
untur profunda altitudine. Necnon & sa-
xo inclusus sub terra inuenitur, extrahi-
turq; aut exciditur. Sed maiori parte fos-
sili natura absolutus segmenti modo, nū
quam adhuc quinq; pedum longitudine
amplior. Humorem hunc terræ quidam
autumant crystalli modo glaciari, & in la-
pidem concrescere manifesto apparet,
quod cum feræ decidere in puteos tales,
& medullæ ex ossibus earum in eadē la-
pidis natura post unam hyemem figurā-
tur. Inuenitur & niger aliquādo, sed can-
dido natura mira, cum sit mollicia nota;
perpetiendi solis rigoriscq;. Nec senescit,
si modo iniuria absit, cum hoc etiam in
cementis multorum generum accidat. In

uenere & alium usum in ramentis quoque
circum maximum ludis Circensisbus ster-
nendi, ut sit in commendatione candor.
Hæc Plinius de lapide speculari, quibus
nihil potest esse clarior. N A E . Nostræ
eius sententiæ, quæ putat ipsum crystalli
modo glaciari esse uidetur, atque inde gla-
ciem Mariæ appellasse, B E R . Recte. In-
uenitur autem apud nos subniger, qui sa-
tis lucidus non est, & candidus, qui maxi-
me translucet. Vnde ex eo fenestras non
aliter ac è uitro conficiunt, quales Marsi-
burgi in templo quodam uetusto cerne-
re licet. A N . Hoc idem scribit Albertus,
loco tamen plumbi quo ultra firmantur,
ligna leuigata ponit dicit. B E R . Ita est.
A N , Scribit præterea magnam eius co-
piam in Germania se uidisse, ut plaustra
inde onerari possent. Deinde in Gallia
una cum gypso inueniri ait, ut sit quasi
summitas quædam gypsi. B E R . Recte
Albertus , Cæterum ipsum nucis auella-
næ quantitate nostri cum è dysenteria la-
borant, conterere solent ac in uinum au-
sterum coniçientes epotare, atque ita mul-
ti à morbo liberantur. A N . Cognatas for-
te gypso

te gypso vires habet, quo Arabes tū san-
guinis sputum cohibent, tum menses si-
stunt, tū deniq; dysenteriā curant. N A E.
Dioscorides quidē sanguinis profluuiā
ipsum cōpescere tradit, sed potum stran-
gulatione perimere, nec Galenus in po-
tione dedisse uidetur, sed emplastrum ex
ipso & albo oui, polline tritici, atque pilis
leporinis conficere docet, quod sanguinē
supprimit. B E R . Securius igit̄ lapis spe-
cularis in potionibus exhibetur. Nam ne-
mini hactenus ipsum nocuisse multis pro-
fuisse audiui & uidi, N A E . Experiemur
olim. Sed quia minium rubei, ut Sandara-
ca, coloris est, inuenitur ne ipsum, quem,
admodum Plinius scripsit, in argentarijs
metallis. B E R . In Germania in his inue-
niri nō scio, sed suā uenam habet. N A E .
Cognoscis ne id ipsum, quod tanti precij
apud Romanos fuit? B E R . Cognosco,
& credo me hic habere, N A E . Habes ne
uenam minij, ostēde eam nobis obsecro.
B E R . Videte. N A E . Plinius nunc uenā
minij, nunc minium appellat. B E R . La-
pidem etiam. Atque hic, ut uides, lapidis
scissilis generi ita adhæret, ut innatum uē-

g 5 deat.

deatur. N A E . Vbi nam lapidem nominat? B E R . In his uerbis, quæ ante quoque dixi. Est & lapis in ijs uenis, cuius uomina liquoris æterni argentum uiuum appellatur. Vitruvius autem Anthracem dici scribit, & bene sanè, nam prunæ uena similis est. Quod si uobis molestum non est uerba ipsius, quæ me credo memoria tenere dicam. N A E . Minime. B E R . In grediar nunc minij rationes explicare, id autem agris Ephesiorum Cilbianis primum memoratur esse inuentum, cuius & res & ratio satis magnas habet admirationes. Foditur enim gleba, quæ ἀνθραξ dicitur antequam tractationibus ad minij perueniat. Vena uti ferreo magis subrufso colore, habens circa se rubrum puluem. Cum id foditur, ex plagiis ferramentorum crebras emittit lachrymas argenti uiui, quæ à fossoribus statim colliguntur. Hæc Vitruvius. N A E . Multas certe res ob coloris similitudinem ἀνθραξ Græci nominarunt. Nam minij uenam, ut uerba Vitruvij declarant, gemmam nobilissimam, quam Plinius inde Carbunculum, uulgas Rubinū uocat. Terræ genus, cuius

ius scriptores rei rustice meminerūt. Prē
terea quartum quiddā, quod Theophra-
stus his uerbis exposuit. Quos autē mox
carbones uocant in eorum numero, quæ
propter usum fodiuntur, habendi, terreni
sunt. Exuruntur autem & ignescunt quē
admodum carbones. Sunt uero circa Li-
guriā, ubi & electrū, atq; in Elide quā
itur ad Olympia, ea quæ per montem est
via, quibus & ærarij utuntur. B E R . Nō
exprimit colorem? N A E . Non, ego car-
bonis esse crediderim. B E R . Extincti ne
an ardentis? N A E . Nescio quid ita ro-
gas? B E R . Quia genus quoddam repe-
ritur sic terræ calore excoctum, ut atrum
& leue sit perinde ac carbo, quo fabri fer-
rarij multis iam annis per totam ferè Mis-
niam, carbonū loco utuntur. N A E . Sen-
tio tecum, & quod Græci tam carbones
quam prunas ἄνθεκας appellēt, & quod
dicis nostros fabros ferrarios, ut Theo-
phrastus ærarios, ipsis uti. Sed quo nam
loco fodiuntur? B E R . In monte quodā,
qui inde nomē habet, prope Zuiccam si-
to, N A E . Vrbem ne illam ad Muldam?
B E R . Eam ipsam, quam cum olim à ciui-
bus

bus suis ob crebras inundationes desertā
Henricus imperator illius nominis tertius, uidisset, ipsam instaurari & moenia
eius ampliora fieri mandauit. Sed altero
anno rediens cum urbem strictiorem, q̄
fieri iusserat cōspiceret, indignatus Saxo-
nico sermone, quo utebatur, in hanc sen-
tentiam dixisse fertur: Vrbem concidi-
stis, atq̄ hinc, ut in quibusdam annalibus
Cīcensibus legitur, sic appellata fuit, cū
antea Suanfeldia ipsi nomen esset, ad qđ
sanè Erasmus Stella, qui celebris nostra
ætate medicus fuit, mihi respexisse vide-
tur, quando ipsam Cycnæam appellauit.
N A E. In ea consulem agit Laurentius
Vrsilalius, quem doctum & philosophia
in primis clarum Lutetiæ nobis remise-
runt. B E R. Noui uirum optimum. Sed
horum carbonum fodinæ cum nobis ad-
huc pueris accensæ essent, mons non ali-
ter ac olim Aetna & Vesuuius arsit atq̄
flamas euomuit, ut urbi etiam, quæ ta-
men ad tertium fermè lapidem abest, ti-
morem incuteret. A N. Audiui ea de re.
N A E. Ego carbones sæpe uidi. Nostri
etiam ita appellant adiecto lapidis nomi-
ne,

ne, quasi dicas Græce λιθάνθρακας. Theophrastus uero γέωδες dicit, & melius forte quia ita leues sunt ut aquæ innatet, qd uidetur terræ esse excocatae & rare. B E R .
λιθώδεις igitur dicerentur potius, qui in Leodiensi agro fodiuntur satis graues. Miror uero Plinium hæc, quæ tu modo retulisti, ex Theophrasto non excerptissim. Nec minus ego, sed dimittamus atrum colorem, quo lugentes uti couenit, & ad rubeum, quo Romani triumphantibus, & Aethiopes dies festos agentes usi sunt redeamus. B E R . Ad idem uel hodie Aethiopes inter cætera minium facti ciui, ut mercatores narrant, expertunt. Tinguunt enim hoc ipso faciem, uel, ut Plinius, se totos proceres. N A E . Quo modo uero minium à Sandaraca differt? utrumq; enim rubet. B E R . Hoc quod ex minio, siue iam elaborato, siue rudi, quod & Plinius nouit, conficiatur argentum uiuum, quod è Sandaraca fieri non potest. Imo dum latatur uena minij, ut postea terat, quium primum humorem hauserit pars ipsius in argentum uiuum, quod ego nuper expertus sum, abit. Quod rursum sic catum.

catum & contritum redit ad suum colorē.
rem. N A E . Quā rationem minij consi-
ficiendi sequeris? B E R . Eam quā Plinius
his uerbis scribit: Optimum uero su-
pra Ephesum Cilbianis agris, harenā coc-
ci colorem habere, hāc teri, dein lauari fa-
rinam, & quod subsidat iterū lauari. Dif-
ferentiam artis esse quod alij minium fa-
ciant prima lotura, apud alios id esse dilu-
tius, sequentis autem loturæ optimum.
N A E . Hæc minij Ephesij quod ex hare-
na quadā rubea primus Callias fecit, con-
sidiēdi ratio est, quā Plinius ē Theophras-
to, ut multa alia, transcripsit. Natiū ue-
ro , sic potius appellare mihi placet, q̄
adulterū, quia & Theophrastus αὐθεντι-
dicit, quod tu in usum picturæ paras, tum
Dioscorides, tum Vitruvius præter lotu-
ras coqui in fornace scribūt. Plinius quo-
que inquit, Sisaponensibus autem minia-
rijs suæ uenæ harena sine argento exco-
quitur. & tuum coqueres, crederem puri-
us omnino futurum. B E R . Nō coxi ha-
ctenus, & tamē optimi coloris fuit, quod
tibi nihil mirum uidebitur, si aliquando,
quod facile poteris, purissimū in nostris
miniarījs

miniarijs metallis conspicies. Timui certe, ne uasis in quibus coqueretur apertis, aliqua eius pars ignis uiolentia auolaret: obstructis, totum in argētum uiuū, quod hic fieri nolumus, uerteretur. Experiār tamen olim quia ueteres sic fecisse constet. N A E . Lento igne coques. Sed quo nam loco sunt miniaria metalla: B E R . Non procul hinc Schonbachij, quod est ad E gram, sub ditione comitis Alberti Slico nis , qui nepos est Casparis illius clarissimi uiri, cuius Aeneas Sylvius s̄æpe mentionem fecit, quiq̄ trium Imperatorum à libellis fuit. N A E . Sed aliud nunc mihi incidit ab autoribus proditū. B E R . Quid est: N A E . Illigas ne faciem laxis uescis, ne in respirando, utar Plinij uerbis, exitia lem puluerem trahass: B E R . Huc usque parum confeci, nec uescis usus sum. Sed profecto hæc ratio longe utilissima esset nostris qui in aridis fodinis laborant. Nā hi hausto puluere difficultate anhelitus & tabe pereunt, maxime in Pannonicis metallis, quæ nostri etiam fodunt, ut ibi mulierem inuenias, quæ septem nupserrit uiris, quos omnes tabes illa immatura morte

morte abstulit. A N . Quid in causa est,
quod hodie uerū minium ignoratur & cū
olim magni usus fuerit, & nunc esse pos-
sit in pictura? B E R . Hæc potissimum qd
Chymistæ facticium in ipsius locū substi-
tuerunt, quod ex argento uiuo & sulphu-
re conficiunt. Ego malim uti nativo, nam
pulcherrimum illum ruborem sulphuris
fœditate nō nihil corrumpi arbitror. Ap-
pellat uero facticium Cinnabarim. N A E .
E Græcis quidā, inter quos est Theophra-
stus, etiam uerum illud minium nō ἄμμιος,
sed οὐνάς & ob coloris similitudinem nō
minarunt. B E R . , Dioscorides scribit fal-
so quosdā existimasse minio eandē Cin-
nabarim esse. Vidisti ne ueram Cinnaba-
rim? N A E . Vidi Venetijs duplex genus
eius quod sanguinem draconis uocat, al-
terum rubēs, ut Sandaraca uel minium,
erant uero glebae quædam non perinde
magnæ, quod uerā Cinnabarim cū Leo-
niceno esse credo . Nam tam pictores, &
medici ipsa utuntur, quod in picturis pro-
prie sanguinem, ut Plinius ait, reddat, &
antidotis medicamentisq; utilissima sit.
Præterea non minus chare quam olim
uendit.

uenditur. Alterum atrum in orbem quasi circumactum, compressum tamen, & in globum non assurgens, quod adulterinū dubio procul est, cuius indicium est nimius lento. Videntur enim gumī quædam admixta ueræ Cinnabari, cuius adhuc aliquas quasi micas conspicere licet, id ubiqꝫ medicamentarij pro uera uendunt ignaris. B E R . Scis ne quid uera illa Cinnaberis sit? N A E . Variæ sunt sententiae. Plinius dicit esse saniem draconis elisi elephantorū morientiū pondere, permixto utriuscqꝫ animalis sanguine, cui Solinus assentitur. Contrà, medicorum chorus fortiter reclamat, asserens commentū esse mercatorum. Leonicenus autem metallicum quiddam esse censem, nec video quo alio argumēto quam quod eius mentio inter metalla facta sit, cum ipse Di scorides quid nō sit, dicat. Quid uero sit, tanquam non satis cognitum, faceat. Aræbes uero succum esse, ut tu Ancon optime nosti, uolūt, & Serapio quidem Sideritidis Achillææ. Quod si uerū esset, Di scorides, qui eam herbam diligenter descripsit, ut Leoniceno uidet, nō tacuisset.

h Ego

Ego malo in re cuius natalem locum nec ipse uidi, nec aliquid certi de eo accepi, sustinere assensionem, quod Dioscoridem, Galenum, & alios fecisse video, potiusq; aliquid dicere, quod posteri, ueritate cōperta, merito irrideant. B E R . Probe fas̄is. Sed dic Ancon, cui sententia tu assen̄tires. A N . Arabum. Succum enim esse si ue lachrymam arboris gustus ipse indica re uidetur, & mercator quidam, cui si lu bet credite, mihi retulit in Lybia & finiti mis regionibus arborem à se uisam satis proceram, ex qua sanguis draconis desudaret perinde atq; apud Rhetos è larice resina, quam medicamentarij etiam apud Italos pro Terebinthina uendūt. N A E . Veræ Terebinthinæ paruā massam pres sam magis quam altā Venetijs uidi Mastiche Chiaæ colore similimam. Sed redeamus ad metallica. B E R . Non exigetis à me, opinor, ut iam uobis dicam, quemadmodum minium adulterinum, non illud dico quod Cinnabarim appellant, sed qd hodie solum minij nomen retinet, è plumbo conficiatur, & tertium genus quod fit in argentarijs & plumbarijs metallis exusto

sto lapide quodā in uenis reperto, de quo
Plinius scripsit. Nam hæc alio tēpore lon-
ge commodiū dicētur. N A E . Sinamus
igitur ipsa , & pergamus . Rubrica'ne in
Germania reperitur: B E R . Fabrilis, que
fossilis apud nos est , & ex ochra usta fit
quod Theophrastus & Dioscorides scri-
pserunt . Plinius uero negligentia quadā
inuertit . Sed reperitur inter natiuas insi-
gnis quædam , de qua aliàs dicendū erit.
Tu nūc si quid de Sinopide habes, dicas.
N A E . Dioscorides, ut scitis, rubricā Sy-
nopicen eligit eam que densa est, grauis,
socinoris colore, non calculosa, sibi cōco-
lor, & copiose cum diluitur se diffundēs,
qualem mihi Baptista Opizo Venetijs
ostendit, & dedit è Bizantio aduectam.
Non autem erat in pastillos redacta, quē-
admodū Manardus ipsam à se uisam scri-
bit, sed glebæ quædā erant. Pastillos præ-
terea ibidem uidi , ex eadem urbe portat-
os coloris ferè fului, & literis Turcicis si-
gnatos, quos ob id terram sigillatam ap-
pellant, quia Lemnia illa terra olim ima-
gine capræ signabatur. Certe Lemnus in
Iula in qua fodiebatur, non longe à Thra-

cia abest, & in eam Turca etiam imperiū obtinet, quare facile Bizantium portari posset. Quod si color minus quam debet rubricæ conuenire uidetur, cogitemus ipsum cū terra diluitur, ut in pastillos cogatur, non nihil posse mutari, deinde profundius fodi, atq; ita minus calore aduri. Turcæ eam unicum pestis remedium esse asserentes, ita magni aestimant ut alter alteri muneris loco ipsam donet, id quod mihi retulit Ambrosius Fibianus amicus noster, vir sanè probus & facetus, qui cū proximo anno Bizantium nauigasset ad inquirēdū, Stephanus Slico à Turcis' ne captus, an in prælio occisus esset, aliquot illius pastillos secū attulit, qui Venetijs etiam paucis cogniti care uendunt. A N. Arabes maximam uim pestis curandę ascribunt bolo Armeno. N A E. Id ipsum ex sententia Galeni, qui ita de terra Armenia scribit: In hac magna peste quæ similis fuit ei, quæ Thucididis tempore grasa fata est, omnes qui hoc medicamen bibunt, breui curati sunt. Quibus autem nihil profuit, omnes mortui sunt, nec aliquo alio medicamine curari potuerunt. Ex q̄ perspi-

perspicuum est, quod solum his qui incurabiles erat nihil profuit. Bibitur uero cum uino tenui, modice mixto, si sine febre fuerit homo, aut parum febrierit, cum aquo/so autem, si multum febrierit. Nec tamen pestilentes ipsae febres uehementer calent. Hæc Galenus, qui colore pallidam esse tradit. Quare nec ipsa multum huic terræ similiter dissimilis est, nisi quod sigillum ei impressum fuisse nusquam legatur. Ut tandem fuerit non magni referre puto, easdem enim penè vires habere scribuntur.

B E R . Bizantij inquirendum esset an è Lemno adueheretur an ex Armenia Sino/pen, atque inde in Thraciam deportaretur.

N A E . Turcarum rabies in causa est, quod pauci Bizantium nauigent. B E R . Spero deum optimum maximum eam mentem daturum duobus nobilissimis & potentissimis fratribus Carolo Imperatori, & Ferdinando regi, ut rebus cum Francisco Galliarum rege compositis omnem belli motum in Turcam uertant, quo ex Europa expulso tam facile nobis erit per Danubium in pontum delabi, atque inde quolibet nauigare, quam equites in Italiam

h 3 ire.

ire. N A E. Nō dubito futurum, Christia
ni modo principes concordes sint. B E R.
Principum esset interea mercatores insti
gare, imo ipsis imperare, ut illas, de qui
bus nunc dixisti, ad nos afferrēt. Quæ et
si primo magno precio uenderentur, po
stea tamen cum plures eandem materiā
adueherent, facile precium, ut fieri solet,
decreseret. N A E. Vereor mi Berman
ne ut principes molestissimis & turbulen
tissimis his tēporibus occupatores sint
quam ut de huiuscemodi rebus cogitare
possint. B E R. Fateor, sed medici quos
magno sumptu souent, quosq; sanitatis
ipsorum curā imprimis gerere oportet,
eos monerent. N A E. Bene dicis, at ma
iorem partem omnibus istis aut nihil pre
ter lucrū dulce est: aut si quid præterea
curant, contorta quædam sophismata ne
cere malunt, potiusquam materiam syn
cerā, qua feliciter morbis mederi possēt,
conquirere. Committunt uero harum re
rum curam medicamentarijs indoctis: atq;
ita illorum negligētia & peruersitate, ho
rū inertia & inscitia sit, ut nō modo hæc
terrarum genera uera nō habeamus, sed
etiam

etiam in herbis neq; dictamnum, neque melilotum, neq; scordium, ac pleraq; alia quibus frequentissime uti consueuimus. Quid quod multorum, quæ ueteres summis ob præstantes uires laudibus extulerunt, usus ita planè perīt, ut uix per somnium eorum recordemur? Nihil opus est aliò diuertere, respiciamus ad ea solum, quæ tu nūc nobis ostēdisti. Cui iam multis annis atq; adeo seculis nota fuit moly bdæna: cui pyrites: quotusquisq; Chrysocollam cognoscebat: aut ochram: aut minium, cum tamen ipsa non raro suum in medendo habeant locum: Sed quod peius est, pleriq; ipsorum nō solum talia non curant, sed eos etiam qui curant irridere solent, simplices esse dicētes qui student simplicibus. B E R . Eant in malam crucem isti. A N . Merito. Quis enim unquam accepto luto è uia, lignis marcidis, lapidibus mollibus & harenosis ædificiū firmum & stabile extruxit: calx requiriatur quam optima, ligna electa & suo tempore cæsa, saxa durissima, ut fundatum & artificium taceam. Stulti igit; nostri mihi uidentur, qui ex uilissima & nul-

larum uirium materia medicamentū alij
quod efficax se confidere posse sperant.
Opus est medicinis lectissimis nec minus
diligēti & artificiosa præparatiōe. B E R .
Vos igitur contemptis istis medicis per-
gite ut cœpistis, res quibus indigetis dili-
genter inquirere. N A E . Faciemus idqz
exemplo Galeni medici omniū præstan-
tissimi, qui nauigauit in Lemnū, ut quan-
tum sanguinis hircini, quod Dioscorides
fieri scripserat, terræ illi misceretur, intel-
ligeret atqz ex eo coniiceret uires. Qui in
Cyprum se contulit, ut ibi metalla cōspi-
ceret. Qui deniqz profectus est in Cœleſ
Syriam, quæ Palestina pars est, ut Asphal-
tum & quædam alia uideret. Valeant igi-
tur isti, & latrent quantum uelint. Sed po-
tēsne melāteriam nobis indicare? B E R .
Nostrām quæ eruitur ē proxima fodina,
cui Aries nomen, & ipsi uicina quæ Sciu-
rus appellatur. A N . Eamus ergo ad eam
uifendā. B E R . Eamus ocius, parū enim
diei supereſt. Hæc est nostra Melanteria.
N A E . Vere ita appellas, nam nigerrima
est. B E R . Ipsa interdum argenti aliquid
in ſe continet, tumqz argentum rude ni-
grum

grum appellari diximus. Quæ uero fossi
lis in Cilicia & alijs quibusdā locis reperi
tur coloris, ut Dioscorides dicit, sulphur
rei, aquæ contactu nigrescens, apud nos,
quod sciam non est. Terræ autē albæ ge
nera sicca perraro in metallis reperiūtut,
sed suis locis effodiuntur unde & nomi
na habent. Argillæ uero candidæ persæ
pe, quæ siccatae aliquem coloris candidi
usum præbere possent. Est præterea quid
dam aliud in uenis candidum medullam
referens, quod nostri idcirco medullā sa
xi appellasse uidentur, quod hic conspice
re licet. N A E . Medulla ossis alicuius ani
mantis esse appetat. Non inepte lapides
oraculo Delphico, ossa matris dicti sunt,
cum medulla in ipsis, quemadmodum in
ossibus reperiatur. B E R . Fluida ferè est,
nec sic tenacis pinguedinis ut argilla,
quamuis interdum exiccata & dura inue
niatur. Sed regrediamur, si placet, nā alia
uobis indicabo. N A E . Interea temporis
dum breue hoc iter perficimus, dicas ro
go, reperitur ne Stibium in fodinis me
tallicis? B E R . In argentarījs reperiō nō
scio, sed plumbarījs Aldēbergi, quod est

in Misnia, uerum cum nigris lapillis, pyrite, & saxo harenoso ita commixtū ut magna cum difficultate, imo nō nisi uī ignis separetur. In proprijs uero uenis permagna ipsius copia est, cū in alijs locis tum Fichtenbergi, in quo monte Mœnus, Salia, Egra fluuij oriuntur, & Planæ oppido Boëmiæ, quod ad quadragesimum lapidem hinc distat. N A E . Non ergo aliunde petendum est. Præ omnibus autem uide cuperem Chalciten qui æris, Mysi quod auri, Sory quod Melanterię ferè colore esse traditur, quod ipsis Galenus frequentissime in emplastris utatur, nec minus alijs ueteres: erat uero olim in Cypro laudatissima. B E R . In ærarijs puto metallis. N A E . Recte. B E R . In argētarijis ipsa nō uidi, forte & in nostris ærarijs inuenirentur, cum proxime in patriam meam rediero omni diligentia scrutabor. N A E . Illud uobis dicam. Venetijs Chalcantum Cyprium, reliquis enim præfertur, emi, quod aliqua ex parte in Chalciten mutatū fuit, id ē uel hodie domi meę habeo, quod tibi Bermanno breui mittā. Illa enim mutatione uisa, facile ipsum in metallis

metallis nostris erarijs, si modo in his est,
inuenies. B E R . Facies mihi rem gratam,
sed qui scis Chalcantū in Chalciten mu/
taris? N A E . Quia Galenus sic de Chalcā
to scriptum reliquit. Huius etenim medi/
camenti permultum mecum ē Cypro at/
tuli , cuius pars exterior post uiginti fer/
mē annos Chalcitis facta fuit , cum inte/
rior adhuc Chalcantum existeret . Qua/
propter in hunc diem idipsum quod ita
mutatur apud me teneo, obseruans quo/
modo usq; ad intimum hæc trāsmutatio
singulis annis procedat, ut Chalcitidis in
Myſi quemadmodum dictum est. B E R .
Mittas rogo, sed iam propè Gairicam ue/
nam sumus. A N . Vnde hæc nomē sum
psit? B E R . Ab oppidanis Gairi, qui pri/
mi inuentores fuerūt, quicq; partes quam
plurimas in capite dimensionum huius
uenæ habuerūt. A N . Quid caput dimen/
sionē appellas? B E R . Qua parte primo
uena detegitur, caput dimensionum no/
mino. Nam ab eo, ueluti ab initio quodā,
metallici reliquas dimēsiones tam super/
nas q; infernas metiri solent. A N . Quæ
lōgitudo capitis est? B E R . Duas & qua/
draginta

draginta orgyas complectitur. Dimensio uero quęq; octo & uiginti, deducta tertia parte. Quæ capiti in gratiam primi inuentoris adiecta fuisse uidetur, ut hoc quasi præmio reliqui metallici ad nouas uenas perquirendas instigarent, atq; is ferè semper modus fodinarū esse solet. Ingrediamur nunc casam. A N. Fiat. B E R. Huius fodinæ cura mihi demādata est. A N. Quod est officium tuum? B E R. Singula quæ uel ex symbolis, uel effossis metallicis recipiuntur, aut in fodinam & operarios expendūtur, in tabulas accepti & expensi referre, ac de his omnibus magistro metallicorum & duumuiris iuratis rationem reddere. Posset autem in eiusmodi officio constitutū præfectum rationibus appellare. Sunt uero uaria officia inter metallicos, sunt leges & decreta. Quid plura: Res publica quædam ipsis est bene cōstituta. Sed egrediar & uocabo presidem fodine, qui in proximo hoc domicilio habitat, ut quædam nōdum uobis uisa afferrat. N A E. Postquam ille exiuit dicam Ancon qd sentio, nihil mihi in uita gratus facere potuisses, qz quod huius amicitiam

citiam mihi conciliaueris . Non possum
nō uehementer admirari , uel potius mul-
tum amare uirum , qui tanto studio & di-
ligentia res ipsas , non nomina tantū , qd
plericqz facere solēt , inquirit . Qui quæ ue-
re inuenta dicere posses , non temere asse-
rit , tantum abest ut rem ullam , quæ dubia
& incerta sit , nimis etiam affirmet . Qui
deniqz , quod omnium maxime miror , ea
quæ magno labore inuenit , alijs facilime
& diligētissime explanat , ac minime , qui
non paucis mos est pessimus , inuidentia
quadam tanquam mysteria & arcana ce-
lat . A N . Recte dicas . Nam & mihi studio
ueri inueniendi etiam ardere uidetur , ne-
que quicquam nisi certa eius indicia sint ,
asseuerare . Præterea animo quām maxi-
me candido esse . Sed reuertitur nunc , ac
nescio quid noui apportat . Quid hoc ue-
ro est Bermannes? B E R . Fluores sunt , ita
enim , liceat mihi uerbum è uerbo expri-
mere , nostri metallici appellant , nec meo
iudicio inepte : siquidē planè materia quæ
dam uidetur esse confluxa & congelata ,
perinde ac glacies esse solet , nisi quod ua-
rios & iucūdos colores obtineat , N A E .

Hos

Hos Theophrastus *ex συγγρόνης*, id est confluxu in terra fieri diceret. Punici isti fluores, utar posthac uerbis tuis, argentū rūde puniceum, quod ante nobis indicasti, esse apparent. B E R . Primo quidem aspectu ita uidetur, nō tamen sunt, nam translucidi non raro existunt. N A E . Carbunculi ergo sunt. B E R . Ne hī quidē. N A E . Quomodo ergo à Carbunculis internosci possunt? B E R . Hac potissimum nota, quod colores in oculos, ut Carbunculi solent, non uibrant, licet quidam perspicui sint. Qui uero nō translucent, uel eo ipso à carbunculis distinguuntur. Præterea omnis generis fluores quamprimum ignem senserint, diffluunt, Carbunculi fluidi in igne minime fiunt. N A E . Bene discernis. B E R . Aliud genus uidete colore purpureo dilutiori. N A E . Amethysti uidentur uiliores, quales in Boémia plurim in locis reperiuntur. B E R . Certe nō multum dissimiles eis sunt, quare uulgo, quod Amethystos non bene nouit, pro gemmis annulis inserti facile uendi posunt, & uendūtur. Tertium genus, ut hic cernitis, colore est candido, N A E . Cry stallos

stallos crediderim. B E R . Quartum lutei
coloris est, quintum cineracei, sextū sub-
nigri. A N . Quis uero usus fluorum est?
B E R . Dum metalla excoquuntur adhi-
beri solent, reddunt enim materiā in igne
non paulo fluidiorem, perinde ac lapidis
genus, quod è pyrite cōfici diximus: con-
ficitur uero nō longe hinc Breitenborni,
quod prope Suarcebergum est. Ex fluori
bus præterea colores, qbus pictores utun-
tur fieri possunt. Sed descendamus rura-
sum, proxime fodina est cui nomen Ve-
rona, ibi uobis Cobaltū ostendā. N A E .
Illud'ne cuius dū de pyrite loqueremur
mentionem fecisti? B E R . Id ipsum. An-
con nunc ita præcurrīt, ut ipsum uix asse-
qui possimus, qui tamen cum ascendere-
mus mōtem tardus admodum erat. Con-
trà quām generosi equi facere solent, qui
festine ascendūt, pedetentim uero descē-
dunt. N A E . Crassus est, atq; ob id gra-
uis. Grauia autem sua ui & sua natura de-
orsum mouentur, quamobrem nihil mi-
rum. A N . Profecto si isti montes sæpius
scandendi essent, multum mihi pinguedi-
nis sudore adimeretur. B E R , Hic tumu-
lus

Ius è fodina ipsa egestus est. N A E. Mōs
apparet, certe quemadmodum Poëtæ fe-
runt, Gigantes Peleum Ossę imposuisse,
ut ascendentes Iouem de cœlo deturba-
rent, ita metallici montem monti impo-
nunt, ut alterius fratrīs, nempe Plutonis
aulam expugnent. Iam & fulmina ipsis ti-
menda sunt. B E R. Imò mala aura qua-
miserandum in modum pereunt, aut rui-
næ quibus penitus quam Gigantes ob-
ruuntur, sed ascendamus. A N. Iterū mi-
hi sudandum est. B E R. Hoc genus Co-
baltū, liceat mihi in præsentia nostris uti,
uocant. Pyrites autem cum lapidis & ar-
genti materia commixtus, & in unū cor-
pus calore terræ conflatus esse uidetur,
atq; ita quod Cobaltum appello consti-
tuisse. Sunt qui idem cum pyrite esse cen-
sent, quod eadem ferè insint. Sunt qui spe-
cie, quod mihi placet, distinguunt. Nam
insignem persæpe corrodēdi uim habet,
ut manus & pedes operariorum, nisi be-
ne sibi caueant, exedat, quod pyriten effi-
cere posse nō scimus. Tria autem eius ge-
nera colore potius quam alia quapiā re-
distincta reperiūtur. Nigrum, cineraceū,
& quod

& quod ferri colore est, quodcūq; ex his
fuerit plerunq; argento magis quam py-
rites abūdat. A N . Varia genera saxi hoc
loco conspicio. B E R . Omnitno. Atq; hic
primum uides saxum scissile colore qua-
si ceruleo, quod aliquādo nigrius, aliquā
do albidius esse solet. Alterū genus hoc
est, quod interdū perspicuum quasi esse
uidet, quarzum nostri uocant, modo can-
didissimum, modo subluteum, modo sub-
cesium. Tertium Spatum appellat, quod
politius & densius est. Quartum ut pluri-
mum longe durissimum est, cui à cornu
cuius colorem non raro referre uidetur,
nomen indidere. Partes autem eius sæpe
adeo contiguae sunt, ut unā ab altera ui-
sus discernere non possit, aliqua interse-
ctione conspecta. Quintum harenosum
nominant, quod harena quodāmodo cō-
creta esse appareat. Sunt autem alia com-
plura genera in fodinis ærarijs potissimū
inuenta, quæ hoc loco uobis indicare nō
possum. Reperiūtur uero omnia ista tam
in pendente quam iacente uenæ, atq; nō
nulla etiam in uena ipsa. Sed nūc domū,
quia id temporis est, redeundum censeo.

N A E . Puer tu hęc quę tibi modo seruanda dedi , ne perdas , etiam atq; etiam uide . Nam diligentius domi mihi per ocium consideranda erūt . Sic olim in Italia s̄epe me cum herbas , s̄epe pisces domum ferebā . Quemadmodum enim in hac ualle Bermannus diligentissime metallica obseruat , ita Patauij Dominicus Zeno herbas ; Venetijs Frāciscus Massarūs , pisces . A N . Cuperem etiam officinas in quibus metalla excoquuntur inspicere . N A E . Et ego . Siquidem in his recrementum argenti , Lithargyrum , molibdānam alterā & pleraq; alia nobis cernere liceret . Et si cras abire omnino constituerim , tamen si Bermannus nobiscū ad eas ire uellet , manendum mihi putarem . A N . In hoc quo que morem nobis geras Bermanne , si sine tuo incommodo detrimētoq; fieri possit . B E R . Nihil est quod uestri causa nō negligam . Descendamus cras , mane uero surgendum nobis est , nam circa Galliū cinium excoctores in opere esse solent . N A E . Satis mane surgemus , imo si opus erit totā noctem uigilabimus . B E R . Puerum mittam , qui uos cū tempus erit accersat .

accersat. Si Agricola non abesset, nihil ipsi potius fuisset, quam ut nobiscum ad officinas ipsas, quas saepe inuisere solet, iret. N A E . Incōmode accidit illum nūc abesse. Sed quia fortuna ipsum nobis inuidit, tu eius uicem suppleas. B E R . Res ipsas iam inde à puero mihi cognitas uobis ostēdam, nā pater meus & ipse metallicus fuit, & ducū Saxoniae decimarius. Nomina aut si ego nō possum, uos apta & latina ipsis indatis rogo. Iam uero uale te. N A E . Et tu Bermanne multum uale.

R E R V M M E T A L L I C A R V M
appellationes iuxta uernaculā Germanorum linguam, autore Plateano.

Aes purum gedigen kupffer.

Alueus ein trog.

Argentum quod statim suum est gedigen silber.

Argentum rude silber ertz.

Argentū rude puniceū rot gulden ertz.

Argentum rude plumbei coloris glafz ertz.

Argentum rude nigrū schuuartz ertz;
 Argentum rude purpureum brun ertz.
 Argentum rude cineraceum grau ertz.
 Argētum rude ruffum rotbrendig ertz.
 Argentum uiuum purū gedigen queck
 silber.

Anthrax , siue uena Minij quecksilber
 ertz.

Caput dimensionum fundtgrube,
 Carbones fossiles steinkolen.
 Casa kauu.

Ceruleum lasur.

Chrysocolla berkgrien, oder schifergrīe.
 Cobaltum cobalt.

Cuniculus stollen.

Carrus karren.

Dæmon metallicus das bergmenlin.

Declive mōtis das geheng des geburgs

Dimensio masz.

Excoquere schmeltzen.

Exitus uenæ das aufzgehen des gangs.

Extensio uenæ das streichen des gangs

Ferrum purum gedigen ysen.

Fibræ kluffte und geschickte.

Fluores flusse.

Fodina grube oder zech.

Funis

- Funis ductarius seyl.
Fossam agere schorffen.
Galena siue Molibdæna glantz und
blyertz, auch blyschuuueiss.
Gypsum fossile gyps.
Iacens das ligende.
Iurati die geschuuornen.
Iurati duumiri zuuen geschuuorne
die ein geburg befahen.
Lapis specularis unser liebē frauuen yſz
Lapilli nigri zuitter.
Ligo keilhauu,
Lithargyrum glett.
Machina tractoria haspel.
Magister metallicorū der bergmeister.
Malleus berghammer, oder feuste.
Metallici bergleut.
Minium bergcinober.
Ochra nativa, siue Sil berkgeel, oder
ochrageel.
Ochra facticia blygeel.
Pendens das hangende.
Plumbum candidum zinn.
Plumbum nigrum bly.
Præses fodinæ steiger, oder hutman.
Præfector rationibus schichtmeister.

- Puteus schacht.
 Pyrites kifz.
 Pyrites colore argenteo uuaffer kifz,
 oder uueisser kifz.
 Pyrites colore aureo ein geel kifz,
 oder kupffer kifz.
 Pyrites prorsus auri coloris ein kifz
 der gantz ein farb hat uuie gold.
 Pyrites colore Galenæ similis ein glan-
 tziger kifz.
 Pyrites cineraceus ein grauuer kifz.
 Recrementum schlacken.
 Rubrica fabrilis naturalis bergrotel.
 Rubrica fabrilis facticia rotel.
 Sandaraca fossilis bergrot.
 Sandaraca adulterina apud Plinium &
 Vitruuiū, Sandyx apud Dioscoridem
 parysz rot.
 Saxum scissile schifer.
 Saxum corneum hornstein.
 Saxum harenosum sandtstein.
 Situlus kobel.
 Spatum spet.
 Splendor glimmer, oder katzensilber.
 Specus schacht.
 Terminus lochstein.

Tumu,

Tumulus è fodina egestus halde.
Vena gang.
Virgula diuina die rute.

F I N I S.

BASILEAE, IN OFFICINA
FROBENIANA, ANNO

M. D. XXX

FRO BEN









CC KC 9188
135 [1] pp

Kiss 283

